



9250.

12

1783 41

DISSERTATIO
 DE
 QVIBVSDAM IVRIS METALLICI
 CAPITIBVS
 QVAM
 FELICISSIMO
 FRIDERICI AVGVSTI
 PATRIS PATRIAE SERENISSIMI
 NATALI

PRAESIDE
 CAROLO FRIDERICO TRILLERO
 PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE
 COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO
 DEPENDET
 AVCTOR
 AVGVSTVS LVDOVICVS DES CHAMPS
 FREIBERGENSIS MISNICVS.

AD. D. XXIII. DECEMBR. MDCCCLXXXIII.

VITEBERGAE
 LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.



D I S S E R T A T I O
D E
Q U I B U S D A M I V A R I S M E T A L L I C I S
C A P I T U L V S
P R A E S I D I O
F R I D R I C H I A V G V S T I
P A T R I S P A T R I A E S E R E N I S S I M I
N A T A L I

P R A E S I D I O
C A R O L O F R I D R I C O T R I E B E R G O
P H I L O S O P H O E T I V R I S T I C O D O C T O R I
C O L L O Q V I O C U M T R A D I T I S I V A L I C O
A V T O R

A V G V S T V S I V O D O V I C V S D E S C H A E R S
P R A E S I D I O N O B I L I T A T I S
A M D M C X L I I I I D I E S E C U N D A E
V I T T E R B E R G
L I T T E R A E C A R O L I C H A E N S I S



A SON ALTESSE
SERENISSIME ELECTORALE
MONSEIGNEUR
FREDERIC AUGUSTE
DUC DE SAXE
ETC. ETC.



A. SONNENBERG

BEREITUNG DER DRUCKER

MONSIEUR

FREDERIC AUGUSTE

DUC DE SAXE

LE ROI

MONSEIGNEUR,

*La Saxe entière est aujourd'hui au
comble de sa joie, de pouvoir célébrer l'au-
guste jour qui lui a donné VOTRE AL-*

TESSE

MONSEIGNEUR

TESSE ELECTORALE. Chaque rang et
chaque état bénit ce jour bien-heureux, et
se félicite, de vivre sous le sceptre d'un
Prince éclairé, qui fait respecter les loix
et les sciences, anime les arts, aime les
talens, et qui, tel qu'un génie tutélaire,
veille sur le bien du moindre de ses su-
jets. C'est ce grand et sublime caractère
de VOTRE ALTESSE SERENISSIME

ELE-

*ELECTORALE qui me fait espérer qu'ELLE
voudra bien daigner accepter l'hommage
que j'ose LUI presenter par cet écrit.*

*Je joins mes vœux ardents à ceux
de tous les sujets fidèles de VOTRE AL-
TESSE SERENISSIME ELECTORALE,
pour que le Tout-puissant veuille nous per-
mettre, de jouir longtems encore du bon-
heur de couer paisiblement nos jours, sou-*

mis

*mis à un PRINCE, qui fait les delices
de ses peuples. Je suis avec la soumis-
sion la plus profonde*

MONSEIGNEUR

DE VOTRE ALTESSE

SERENISSIME ELECTORALE

à Wittemberg
ce 23^{ms} de Dec. 1783.

*le très-humble et très-devoué
Serviteur et Sujet*
AUGUSTE LOUIS des CHAMPS.



INSTITVTI RATIO.

Singularis amor, quo adhuc fui ductus, me totum scientiae metallicae consecrandi, illamque pro virium imbecillitate cum ipsa iurisprudencia coniungendi, stimulum iniecit maximum, vt mihi scribendi materiam inde fumerem, ac de metallorum iure acturus, prodirem. Scio equidem, Viros doctissimos in illo argumento pertractando cum laude summa occupatos fuisse, quorum catalogum exhibet LIPPENII *bibliotheca iuridica*, studio IENICHENII, SCHOTTI aliorumque aucta, sub voce *metalla*, qui mihi palmam, quam ipsis modeste concedo, praeeripuerunt, vt Iliadem post Homerum scribere, et cramben centies recoctam apponere, viderer. Sed eo faciliorem ab aequis sperare possum veniam *Lectoribus*, quo grauioribus pro me militans causae quae ad propositum illud me impulerunt.

A

Qua-



Quarum altera est HVIVS DIEI FAVSTI SPLENDOR ac FESTIVITAS; altera vero SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE *circa res metallicas* SAPIENS et PROVIDA CVRA, cuius submisſe praedicandi, gratam HODIERNO DIE mihi gratulor occasionem. Quo maior enim IPSIVS in ferundis legibus, metallorum negotia ſpectantibus, elucet PRVDENTIA; quo munificentius GLORIOSISSIMI ELECTORES SAXONIAE pariter ac PATRIAE NOSTRAE PATER CELSISSIMVS *omnem adhibuerunt curam ad illa ſaluberrimis inſtitutis amplificanda*, ac SPLENDIDA SVA AVCTORITATE *protegetenda*; tanto magis publica ſuadet ſalus, vt ciues tanta emolumenta, in reipublicae vtilitatem conceſſa, extollant gratisque animis proſequantur. *Qua Pietate* et ego commotus, *Summum recordeo beneficium*, quo me SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE MVNIFICENTIA deuinctum reddidit. *Mira* enim IPSIVS INDVLGENTIA factum eſt, vt per tres amplius annos, *Inſtituto Academiae Freibergenſis Celeberrimo* intereſſe potuerim, in quo egregiam proſuſ et ſolidam percipiunt inſtitutionem omnes, qui metallorum naturam, indolem, qualitatesque cognoscere, in eademque inquirere, flagrant. Cuius felicitatis et me participem factum gloriſ, meque ob tantum atque inſigne beneficium obſtrictiſſimum ſignifico, ita, vt commode *) poetae uerbis vtar:

Satis

*) MORAT. Epod. I. v. 31.



Satis superque me Benignitas Tua

Ditavit — — —

Quo luculentius igitur *Pietatis* et *deuotissimi animi* ederem specimen, elegi *hodiernum diem*, *Vniuersae Saxoniae* mihi que splendidissimum atque auspicatissimum, quae fummis laetitiae signis excitata, mecum exclamat:

Hic Dies vere mihi festus anno

Surgit — redeunte —

vt, quoties, TANTO PRINCIPE SALVO, redit, non solum maiore religione fit colendus, sed et vota pro Salute PRINCIPIS, cuius

Semper honos, nomenque pium, laudesque manebunt, ardentissima, quilibet civium fundere obstringatur. Cui officio grauissimo vt pro viribus satisfacerem, cum Praefide meo prodeo, ac votis communibus, maxima Pietate ducti, nostra adiungimus, vt saepissime *Haec Lux sit Splendor Patriae*, TANTVSQVE PRINCEPS *Laetus ac Saluus* interfit Populo Saxoniae diutissime.

§. I.

Origo Metallorum.

Latissimus sane mihi, de metallorum iure acturo emetendus foret campus, si omnes ritus, consuetudines introductas, artis terminos receptos, rei que metallicae ortum progressum, ac diuersa fata, a principio enumerare, atque



ea omnia ordine recto recensere vellem, quae singularibus speciminibus a Viris Doctissimis, litterarum monumentis copiosius fuere proposita. Quae omnia breviter attigisse iuuabit, et sufficit ea hic in umbra delineasse, quae in effigie perfecta, a pictoribus peritissimis elaborata ac depicta iam prostant. Quem in finem ratione originis determinandae provoco statim ad scriptores locupletes, praesertim ALBINVM, MOLLERVM, MÜLLERVM, FABRICIVM in Annalibus, aliosque plures, qui primordia, statim a terrarum orbe condito, repetunt. Quod maxime ex sacris litteris ^{b)} comprobatur, quae Tubalcaini mentionem iniiciunt, in elaborandis metallis variisque ex iisdem fabricandis vasis ac figuris, periti. Inde quoque eorum statuitur inventor, licet veteres scriptores ratione inventoris inter se discrepant. Sic Mythologi Mercurium, omnium divitiarum praesidem, primum metallorum usum invenisse, ac coquendorum rationem docuisse somniant, uti SVIDAS, qui sub voce Φαῦνος de illo refert: μέταλλα δὲ ἰφθῦζε χρυσῶν, ἀργύρου καὶ σιδήρου; qui et pariter Semiramidi illorum inventionem adscribit sub hac v., ubi dicit: πρῶτον μὲν ἐξέθρε τὰ μέταλλα; consulendus quoque est hac de re RHODIGINVS

Lect.

^{b)} Genes. cap. IV. v. 22. cui jungatur locus apud Iobum Cap. XXVIII. v. 1. seq. Qua de re pluribus egit STRUV. in diss. de divers. generib. opific. Th. XI. ubi in sequentibus ex Diodoro Siculo Aegyptiorum singulare studium rei metallariae refert, apud quos etiam Romanis sub auspiciis olim floruit famosissima armorum fabrica Alexandria.



Leſt. antiquar. Lib. 23. c. 6. Alii denique Prometheum referunt, vti Auctor eſt *Natalis Comes* Mytholog. Lib. 4, cap. 6. In eo tamen omnes conſpirant, metalla iam antiquiſſimis temporibus innotuiſſe. Prisci enim iam intellexere naturam non ſolum ſe benignam praeberere ſupra terram ſed et infra eandem nobiliores prouentus producere, quod innuit OVIDIVS (Met. I. v. 138)

— — *ſed itum eſt in viscera terrae,
Quasque recondiderat, ſtygiisque admoverat umbris;
Effodiuntur opes — —*

recte enim metalla *viscera terrae* dicuntur, vti apud Graecos, HESYCHIO teſte, *σπλάγχνα τὰ ἐντὸς τῶν ζώων* interiores partes animalium notant, quae notio metallis, in gremio terrae latentibus, commode applicanda, inde quoque ad ſignificandam illorum occultam qualitatem citatus Poeta (Amor. L. 3. El. 7. v. 37.) de Saturno canit:

*Aeraque et argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admorat,*

Simili modo PLINIVS (Hiſt. Nat. L. 33. c. I.) metalla, nunc, inquit, *ipſaeque opes et rerum pretia dicentur, telhrem intus inquirente, cura multiplicique modo. Imus in viscera terrae, et in ſede manium opes quaerimus, perſequimur omnes eius fibras, vivimus ſuper excauatum.* Inventis enim metallis, cupiditas crevit plura acquirendi, et narrante STRABONE (Geogr. Lib. 3. pag. 220.) ad Carthaginem nouam



quadraginta hominum millia argenteis fodiendis metallis, operam impenderunt. Ita iam apud Veteres, praefertim Graecos, hac de re leges fuisse latas, atque apud Magistratum Atheniensium *δικας μεταλλικὰς*, iudicia metallica floruisse, testatur IULIVS POLLVX. in *Onom.* L. 8. c. 9. segm. 88. Loca pariter nobis accurate a Veteribus indicantur, ex quibus rudis metallorum effossa est materia. HOMERVS Iliad. L. 2, v. 857. argenti originem ex Alybe deducit

Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ἔθεν ἀργύρα ἐστὶ γενέθλη

quem locum STRABONEM de Chalybum metallis explicare, eruditi contendunt ob foecunditatem ac largissimam venam, maxime olim celebratis, vti a VIRGILIO (Libr. X. Aen. v. 174.) inde dicitur:

Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.

Sed diem consumerem, si omnes regiones describere vellem, quae apud priscos prouentibus metallicis inclaruere. Paulisper potius morabor in Germania, atque originem metallorum, in illa detectorum, inuestigabo. Germanis antiquis metalla num plane incognita fuerint, anceps a viris doctis ventilatur quaestio. Sed, si rem recte aestimamus, maiores prostant causae, quibus permoti, magis affirmantium, quam dissentientium, favere possumus partibus. Libenter quidem largior, apud Germanos rarum auri argentiue usum extitisse. Sed inde, quod *rarum* est, omnino ignotum fuisse, colligendum non est. Ex armorum



morum habitu pecuniaeque vsu aliud praesumendum est, ut iam retulit TACITVS (de Mor. Germ. C. V.) *argentum quoque magis*, ait, quam *aurum sequuntur*, nulla affectione animi. Hoc tamen certum est, metalla apud ipsos in nullo pretio fuisse, in iisque investigandis parum attentos se praebuisset. Ipse TACITVS l. c. hanc sententiam confirmat, *nec tamen affirmaverim, nullam Germaniae venam argentum aurumque gignere*; et statim arduam addit rationem: *quis enim scrutatus est*. Iure enim LVCANVS (in Carm. ad Pis. v. 213.) monuit:

*Abdita quid prodest generosi vena metalli,
Si cultore caret — —*

Germani enim magis bellis adfueti, inquirendis metallis operam non impendebant, nec curabant sub ima terra latentia. Ex eo tamen argumentum duci nequit, illa plane apud ipsos non obtinuisse, cum potius probabile sit, hoc iam ante TACITVM contigisse; quia ipse (Annal. L. XI. c. 2. §. 3.) narrat, *CVRTIVM Rufum in agro Mattiaco reclusisse specus quaerendis venis argenti*. Iam vero Interpretes huius loci annotarunt, Curtium illum diu ante, quam TACITVS haec memoriae prodiderit, detexisse argentum.

Hinc illis non assentiendum, qui ortum ac culturam metallifodinarum ad tempora Regum Francorum, praecipue Caroli M. demum referunt. Non temere quis statuerit,



rit, tunc temporis metalla iam ad regalia fuisse relata. Etenim de re capitularia Caroli M. Art. 62. apud BALVZIVM T. II. p. 332. ita disponunt: *ut vnusquisque iudex, quid de ferrariis, et scrobis, id est, fossis ferrariciis, vel aliis fossis plumbariciis habuerint, omnia seposita, distincta et ordinata ad natiuitatem Domini nobis notum faciant, ut scire valeamus, quid et quantum de singulis rebus habeamus.*

Immo iam Seculo VI. sub Chlotario I. occurrunt monetae, quarum antiquissimae de anno 536. a PÜTTERO ^{c)} producuntur. Iam vero elucet, ius monetandi cum iure metallorum arcto vinculo esse coniunctum, quia alterum sine altero constare nequit, et metalla tanquam causae considerandae sunt, ex quibus effectus prouenit, qui in monetis deprehenditur. Ex quibus omnibus prono alveo fluit, metalla inventa quidem, sed successu temporis neglecta, et de integro culta fuisse, quae deinde pro noviter reperiendis habuere.

Ad quae expresse respexit POLYDORVS VIRGILIUS (Lib. 2. cap. 19. de rer. inuent.) quare eorum, qui eiusmodi rerum auctores produntur, alios alibi primos haec metalla, etsi *diu ante reperta*, monstrasse. Quae similiter AGRICOLA (Lib. I. de vet. et nou. metallis) adducit: Idcirco Scriptores interdum diuersos vnus metalli inuentores memo-

c) Deutsche Reichshist. S. 40. n. 3. p. 95.

❧ ❧ ❧

memoriae prodiderunt, quod alii in aliis regionibus id primum inuenerunt, vt idem studium, eademque industria plures illustrauerit, sed in diuersis locis. Quoniam enim litterarum monumentis destituimur, quibus tantummodo tempora inuentarum metallifodinarum determinantur, inde factum, vt illarum ortum ab illo tempore repetamus, quod vetusti annales definiunt. Quod pariter de iis affirmandum, quae in terra Saxonica inuentae sunt, vti non solum Goslarienses sed et Misnenses sub OTTONE M. repertae dicuntur, de quo DITMARVS *Merseburg.* (Lib. II. Chronic.) haec profert. *temporibus suis, aurum illuxit Seculum, apud nos inuenta primum vena argenti;* eademque SIGEBERTVS GEMBLACENSIS apud PISTORIVM in scriptoribus rerum germ. pag. 819. tradit: „*Otto Imp. anno 969. in terra Saxonica venas auri et argenti primus industria sua aperuit.*“ Sed satis constat, illas iam sub Henrico Aucupe notas fuisse, ac sub imperio filii Ottonis maiora incrementa sumfisse, magisque floruisse, vti ex Diplomate FOLCKMARI, Corbeiensium Abbatis, docuit PFEFFINGER *ad Vitriarium*, Tom. III. pag. 1457. Aliud exhibet LEIBNITIVS T. I. Script. Brunsvic. p. 26. vbi haec relata legimus: *Rex Henricus Auceps castrum Misnae aedificauit et Goslar: et mineralia in monte inuenit, qui dicitur de Ramesberch.* Ab his igitur temporibus magis magisque metallifodinae fuere excultae, ac Misnenses

B



fes quidem largissimos ediderunt prouentus, teste ALBINO,
 (in Chronico Misn. metall. tit. I. pag. 1.) vbi dicitur:
„Misnia fulgenti tellus opulenta metallo,“
 donec seculo XII. Freibergenses inclarescere coeperunt,
 et quidem sub OTTONE Misniae Marchione, qui ideo
 cognomine *Diuitis* fuit insignitus, quia immensas ex iis-
 dem perceperat diuitias, de quo iure LOTICHIVS cecinit:
*„Hinc Otto civili praecinctus tempora quercu,
 Ditibus argenti venis, aerisque scatentem
 Fribergam et Philyres excelsam condidit urbem.“*

Perspecta igitur vtilitate, ex venis metallicis redun-
 dante, non repertas solum maxima industria coluere, sed
 et maxime in eo occupati fuerunt, vt nouas indagarent,
 atque in communem vsum aperirent. Sic seculo XV.
 Schnebergenses atque Annaebergenses, postque illas se-
 culo XVI. Mariaebergenses ortum traxere, de quibus ta-
 men plura dicere nolo, ne actum agere videar.

§. II.

Veterum de metallis Sententiae.

Licet insignis metallorum vsum satis sit apertus; veteres
 tamen illa ideo noxia habuere, quia inde omnem vitiorum
 originem deriuant. Sic OVIDIVS loc. cit. queritur:

„Effodiuntur opes irritamenta malorum.“

et

et PLINIVS (hist. nat. l. 33. in prooem.) innocentem, beatam, immo vero delicatam vitam esse, monet, si nihil aliud, quam supra terras concupisceret, nisi in pretio esset auri quoque sanies, ex quo caedes, bella, fraudesque innumerae prouenissent. Abdicandum potius esset aurum, profcissum conuiciis, et ad perniciem vitae repertum. Quam ob causam antiqui docuerunt, „*melius esse aurum possidentibus imperare, quam idem possidere*“; immo SOLINVS (cap. 54.) meminit Babytaëces oppidi, in quo mortales odio auri coëmunt hoc metallum, et in terrarum profunda abiiciunt, ne polluti vsu eius corrumpant aequitatem; SALMASIVS tamen in notis ad h. locum legit: *Soli aurum in odio contrahunt, id defodiunt, ne quo cui sit in vsu.* Auro enim tanta tribuitur a poetis vis, vt per medios satellites ire atque ipsa saxa perrumpere valeat, vti OVIDIVS (Lib. III. amor. El. 7. v. 29.) de Ioue retulit:

Iupiter admonitus, nil esse potentius auro,

Corruptae pretium virginis ipse fuit.

Sed inter alia vitia, praesertim auaritiam genus humanum corrupisse, graues mouentur querelae a VIRGILIO:

„*Auri sacra fames quid non mortalia cogis*

Peciora?“ — —

pariter atque ab OVIDIO (Met. 13. v. 434.)

— — *sceleris nisi praemia magnas*

Adiecisset opes, animi irritamen auari.



Idcirco SILIVS ITALICVS (Lib. I. v. 230.):

Sed scelerum causas operit Deus —
 tacite alludit, sapienter metalla in imis terrae cauernis
 fuisse abdita, quae clarius SENECA (de Benefic. cap. 10.)
 expressit: *nunc volo*, ait, *tuas opes recognoscere, laminas*
utriusque materiae, ad quas cupiditas nostra caligat. At
mehercule terra, quae, quicquid utile futurum nobis erat,
protulit, ista defodit, et merfit, et, vt noxijs rebus, ac malo
gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit.

Ex qua causa Tacitus iam olim dubitauit, argentum et
 aurum propitii, an irati Dii, negauerint. Sed recta via
 incedendum esse, arbitror. Vitijs origo enim non in
 ipsis metallis latet, sed in hominum natura deprauata, ma-
 xime ad delinquendum procliu. Solent enim rebus opti-
 mis interdum abuti, nec illas ad vsum destinatum applicare,
 atque instar Gryphorum, aurum terra penitus egestum
 mire amare, mireque custodire, vt auctor est ^{d)} POMPO-
 NIVS MELA, qui illos ideo saeuum et pertinax ferarum
 genus appellat. Si igitur haec omnia recte ponderamus
 atque ad temporum nostrorum statum respicimus, me-
 tallorum insignia commoda in dubium prorsus vocari
 nequeunt. Laudent Veteres permutationes suas apud di-
 uersas

^{d)} Lib. II. c. 1. Gryphorum pariter cupiditatis meminit PLINIUS hist.
 Nat. L. 7. cap. 2.

uerfas gentes vſitatas. Ita POMPONIVS MELA ^{e)} Sarmatas, auri et argenti maximarum peſtium ignaros, vice rerum commercia exercere, praedicat, quod pariter IVSTINVS de Lycurgo (Lib. 3. cap. 3.) *emi ſingula, non pecunia, ſed compensatione iuſſit: auri argentique vſum, velut omnium ſclerum materiam, ſuſtulit.* Sed quisnam forte erit, qui non ſtatim intelligat, haec omnia apud nos non poſſe obtinere, atque indoli praefentis temporis maxime repugnare, quia ingentes moleſtiae, rixae, fraudesque eſſent metuendae. Potius, ne in re Satis certa argumenta intempetive cumulemus, cauſae noſtrae legitimum iudicem in medium ſiſtamus CASSIODORVM ^{f)}, qui ita decidit: *prudētiaē mos eſt, in humanos vſus, terris abolita talenta reuocare, commerciumque viuētiū, non dicere, mortuorum,* quae dicta ob parem rationem egregie noſtrae opinioni ſuffragantur.

§. III.

Metallorum natura.

Metalla folius naturae eſſe fructus ac prouentus, in imo telluris gremio reconditos, patet quidem, quomodo vero ſiant, ac naſcantur, dilucide determinari nequit, ipſique
 B 3
 phyſici

e) Lib. II. c. 1. p. 125. edidit. Gronov. vid. et IVSTINVS L. 2. c. 7. et PLINIVS hiſt. natur. Lib. 33. cap. 1. vbi: *quantum feliciori aevō, cum res ipſae inter ſe permutabantur.*

f) Lib. 4. epiſt. 34.

physici dubii haerent. PLINIUS^{g)} videtur amplecti opinionem, quasi non nascerentur: *illa nos premunt, inquit, illa nos ad inferos agunt, quae occultavit natura ac demersit, illa quae non nascantur.* TACITVS^{h)} hac de re aliter sentit, et primitias metallorum, nullis fornacibus victas, sed *ut gignantur*, esse inuentas, tradit, licet generatio non satis innotescat. Veteres igitur, quia causam eorum perspicere non potuerunt, in eo inter se conveniunt, ut quid divini statuunt, ac *metalla miraculum naturae* appellent. PLATO quidemⁱ⁾ varia de generatione illorum differuit, rem tamen non clariorem reddit: *Cuilibet enim rerum speciei peculiare astrum dicatum esse, docet, cuius influxu vires nanciscatur atque exerat.*

Quem PLATONIS locum MARSILIVS FICINVS (pag. 829) ita interpretatur, ut per septem metalla, septem planetarum influxus sint intelligendi, generationem omnium moderantes. Ita notissima res est, aurum Soli, argentum Lunae, plumbum Saturno, cuprum Veneri, ferrum Marti, Ioui stannum, hydrargyrum Mercurio^{k)}, signis Planetarum adscribi, unde explicandus versus STATII (Libr. IV. sylv. c. 4. v. 23)

Anne

g) Lib. XXXIII. in prooem.

h) histor. L. IV. cap. 53.

i) in Timaeo pag. 239.

k) Sed quibus reliqua et nouiter reperta metalla, v. c. Platina possit numerari Planetis, proh dolor! nescio, quippe nullus adhuc planetam excogitavit, cui illam dedicaret.



Anne metalliferae repetit iam moenia Lunae,
quatenus vero Planetæ metalliferi dici possint, quodam-
modo delineat BARTHOLINVS (in Syst. Physic. p. 352.)
Agunt ista corpora coelestia cum luna ita, ut aer virtute
illorum in se recepta, per terræ poros et cavernas penetret.
Alii e contrario occultas qualitates tribuunt planetis in me-
talla, quarum causæ indicari non possint. Qua de re SI-
MON MAIOLVS ¹⁾ quaestionem dubiam mouit: *quis omnium*
naturæ memorabilium causam reddiderit? quis metallorum
occultas qualitates eorumque causas perscrutetur? Eitem
Physicis dirimendam relinquo, vtrum metalla sua sponte
fiant, an vera ipsa in se semina habeant, ex quibus sensim
sensimque producantur; SILIUS ITALICVS (Lib. I. v. 228.)
posterius contendere videtur:


— — — *hic omne metallum,*

Electri gemino pallent de semine venæ;
haec tamen maxime fabellas redolent, quæ ARISTO-
TELES ^{m)} fingit, putans, auri frusta in terram defossa, au-
geri, atque aes in paruas particulas dissectum, ac semi-
natum, imbribus rigatum, instar germinis ex solo pullulare.
Mittamus haec, modo monemus, omne aes esse naturæ
sua durum, ita, vt non sine certa vi, magnoque labore
effodi separarique posset, quod et satis phrasæ apud Grae-
cos vsitatae indicant, sic v. c. ⁿ⁾), *μέταλλα κωνομείν, κωνο-*
μίσ,

1) Dier. cunicul. colloq. T. II. coll. 4. de praediçt. physicis.

m) admir. Lib. cap. 40 et 41.

n) IULIUS POLLUX in Onomast. L. III. c. 9. segm. 87.



μία, metalla excindere, metallorum excisio, fatis superque demonstrant innatam solidamque naturam. Accedit et illud, quod iam olim *Plinio* (Lib. 34. c. 15.) auctore, omnium metallorum vena largissima ferri fuerit: ideo in ipsis fodinis aes ferrumque columnas formare, notauit *IULIUS POLLUX* ^{o)}, esse *μεσοκρινῆς κίονας*, intermedias columnas, quae in metallifodinis erectae, cauernas sustinerent. Ex quo alius locus *EIVSDEM* ^{p)} lucem accipit: *ὅς δὲ κατέλιπον μέσους κίονας, ἀνέχειν τὴν γῆν εἰ μεταλλεῖς*, medias vero columnas metallorum fossores relinquunt ad terram sustinendam, quae eum in finem non excindendae, quo melius ac firmiter fodina fulciatur, ne opus, exantlatis laboribus constructum, rursus corruat. Diximus in antecedentibus, difficile esse ortum ac generationem metallorum determinare. Licet rem sub iudice haud decifam relinquamus, placet tamen testimonia ex antiquis Graecis, *HIPPOCRATE* ^{q)} nimirum addere, loca illa recensente, in quibus aes, ferrum, argentum aurumque nascitur, qui ita colligit: *Τὰυτὰ γὰρ πάντα ὑπὸ βίης γίνονται τῷ θερμῷ*; haec omnia enim a violentia caloris nascuntur; cui iungamus *AETIVM AMIDENVM* ^{r)}, qui corpora metallica non solum rebus medicis inferuire, scribit, sed et expresse distinguit inter metalla sua sponte a natura producta et arte formata. Liceat

o) In onomast. l. 7. cap. 23. segm. 97.

p) Lib. III. c. 9. segm. 87.

q) de aeribus et locis sect. XIII. pag. 336. edit. Lind.

r) Libb. medicina. Lib. II. c. 40. pag. 29.

Liceat integrum locum adicere: μεταλλικά προσαγορευέναι ἔθες ἐστὶ τοῖς ἰατροῖς, ὧν ἡ γένεσις ἐν τοῖς μέταλλοις, ἢ τοὶ αὐτοφυῆ, ἢ διὰ καμίνου γυγόμενα. i. e. mos est medicis metalla appellare, quae in metallis gignuntur, aut sponte producta, aut per ignem facta. Sed quid moror? Satis in aprico profat, omnia in producendis metallis spontaneo naturae beneficio esse tribuenda, ideoque MANILIUS (Astron. Lib. V. v. 523.) per illa ipsam naturam intelligit.

*Quaerere sub terris aurum, furtoque latentem,
Naturam eruere omnem — —*

§. IV.

Diversi metallorum significatus.

Non plane a proposito alienum erit, diuersas rerum mineralium recensere notiones, quia illas scire expedit, quo melius omnia innotescant. Ante omnia vero quaedam de deriuatione vocis *metallum* praemittamus. Graeci vero illam deducunt a μεταλλῶν, ab inquirendo et studiose perscrutando; vel ἐπιμετῶν, quod post alia inueniantur, vti Eustathius explicat ὡς μετὰ τὰ ἄλλα ἐνενημένα, inde PLINIUS ¹⁾ ubicumque, inquit, una inuenta vena est, non procul inueniuntur alia. Sed quiuis perspiciet, has denominationes non esse desumptas ex ipsa re, sed potius ab effectū, indefessoque

1) Hist. natur. Lib. XXXIII. c. 6. et APOLLONIUS in Lex. Homer. voc. sub v. ἐπιζητῆ: ἐπὶ μετὰ ζητήσεως αἱ ὕλαι εὐρίσκονται i. e. quod post indagationem aliae venae reperiantur.



que labore, quo abditae terrae latebrae sunt indagandae. Ex qua ratione prior notatio mihi magis arridet, quia rectius modo effodiendi metalla respondet, et non semper nouae venae deteguntur, bene vero vna eademque industria attentaque indagatio adhibenda. Sic μεταλλεῖς apud Suidam sunt τὰ μέταλλα ἐργαζόμενοι metallorum scrutatores atque efflores; et μεταλλεία apud IUL. POLLUCEM ¹⁾, eorundem perferutatio cui adspirat MANILIUS ²⁾:

— — *scrutari coeca metalla*

Depositae et opes, terrae exurere venas.

Hinc iam veteres finxere ³⁾, Lynceum adeo fuisse perspicacem, vt etiam metalla, quae essent terra recondita, oculorum acie penetraret, de quo APOLLONIVS in Argonauticis praedicat.

Perfacile inspexisse sub altis condita terris.

Sed his praemunitis, metallorum significationes paucis attingamus. Illa enim latissimum admittere significatum, notum est, quo omnem materiam, quae effoditur, seu breuius, quae ad regnum minerale spectat, denotat. Rem accurate definit hodie de SECKENDORFF ⁴⁾, omnia huc pertinentia, accurate disponens. Pariter apud veteres eadem

1) Onom. L. VII. c. 23. fegm. 97.

2) Astron. L. IV. v. 246.

3) vid. Nat. Comes Myth. L. 8. c. 9.

4) Im Fürstenstaat P. III. c. 3. §. 1. pag. 359. In legibus romanis idem laxior occurrit significatus, vt in L. 3. §. 6. π. de rebus eorum, quae sub tut. et L. 1. Cod. de metall. quibus metallum lapides, et quaecunq; mineralia denotat.

eaedem latiores notiones occurrunt, quae tamen diuersimode accipiendae. Sic apud PACATVM (in *Paneg. Theod. c. 4.* obveniunt *radiantium metalla gemmarum*, et *POLYBIVM cuniculi*, quibus vtuntur ad euertendas vrbes, qui et in metallifodinis conspiciuntur, dicuntur *metalla*: ἡγετα πολιορκῶν διὰ τῶν μεταλλῶν, actis cuniculis coepit urbem obsidere FRONTINVS (in *script. rei agrar. pag. 147.*) referre videtur *ad ligna*, ita de termino quodam differens: fit ex diuersis *metallis materiae lignae vel saxorum*, recte tamen RIGALTIVS in *not. ad h. l. (p. 260.)* haec de terminis ligneis ferro compactis explicat, simulque ipsa metalla saxa dici, rem tanquam notam commendat. Atque ita STATII ^{uv)} locus:

Et totis Ligurum nitens metallis,

de lapidibus, inprimis de marmoribus, captandus, vti SILII ITALICI ^{v)}).

Tunc quos a niveis exegit Luna metallis,

de marmore candido explicandus, sic e contrario *nigri marmoris* fit mentio in Epigrammate PESCENNI NIGRI, quod ita latinum exhibet AELIVS SPARTIANVS:

Nigrum nomen habet, nigrum formauimus ipsi,

Vt consentiret forma ^{v)}, metalle, tibi.

C 2

Sed

^{uv)} SYLV. L. 4. car. 3. v. 99. vid. et BARTHII not. ad hunc loc.

x) Lib. 8. v. 482. Inde STRABO *Geograph. Lib. 5. p. 222. μεταλλα λεο-
κῆ λιθῆ* dixit.

y) EX HESYCHIO ac STRABONE haec venit formula explicanda, quibus dicitur: *μεταλλος, λιθος*.



Sed et ipsae *metallifodinae* sub metallis intelliguntur apud antiquos pariter ac recentiores. Sic apud HESYCHIVM μέταλλον τῆ χειμῶδος ἢ ἀλλης ἐργασίας, quod alias Graeci γεωφόνιον vocant, id est teste SVIDA χωρεῖον ἐν ᾧ μέταλλα, et Harpocrate in Lex. Rhetor. antiq. pag. 69. χωρεῖον ἐν ᾧ γῆς μέταλλον. Recte MAYSSACVS ad h. l. p. 149. notavit, accipiendum esse de quocunque loco, in quo metalla nascuntur, atque e quo effodiuntur, vt terrae cuilibet, vel cretae, vel harenae vel lapidibus, accomodari possit. Eademque laxior loquendi ratio servatur a Latinis, atque in legibus recepta viget. PLINIVS ²⁾ scribit, *glebulam ex parthico metallo* (i. e. fodina) fuisse allatum, et BVCHERVS ad h. loc. animadvertit, notare glebulam auri crudi adhuc, atque incocti, quale ex venis metalli excideretur. Ita apud STATIVM ³⁾

Saxa nitent duris Nomadum decisa metallis,

Lapidicinae, (λίθων μεταλλεία,) significantur, vt VLPIANVS in L. 13. π. §. 5. *de usufruct. metalla* pro venis lapidinarum habet. Inde apud Romanos *condemnatio in metallum* poena erat, qua quis ad eruendas atque inuestigandas metallifodinas, destinabatur. L. 8. §. 4. π. *de poenis*. Ictus tamen in cit. L. §. 6. distinguit, maiorem poenam fuisse, si quis

²⁾ *Epist. Lib. X. Epist. 88.*

³⁾ *Lib. I. sylv. carm. V. v. 36. cfr. et BARTHIVS ad hunc loc.*

quis in *metallum* condemnatus, quia maioribus vinculis premeretur, de qua BARTHIVS ^{b)} LVCANVM ^{c)} interpretatur: *Hesperiae Segetes vincto fossore coluntur,* ^{aliam} minorem vero, si tantum in opus metalli. Quam poenam grauiorem Imperator Diocletianus in illos constituit, qui ad religionem Persarum se conferrent, quos *forensibus* metallis dari iussit. Quid *forensia metalla* sint, id Doctoribus, imprimis BYNKERSHOECKIO ^{d)} crucem figit, qui pro *forensibus Phoenisia* legit, quae saepius apud veteres occurrerent, nusquam vero *forensia*. Quam tamen lectionem si retinere volumus, non alio modo hoc contingere potest, nisi conjectura placeat, ut *fodinas* interpretemur *foras sitas*; uti *forenses* sunt *foras* habitantes. Imperatores enim maxime in provinciis, bello acquisitis, sibi opera metallica adscribebant, ad quae colenda facinorosi in poenam extra urbem mittebantur. Sed haec de laxis et diuersis sufficiant significatibus metallorum; modo addam, olim in speciali sensu metalla pro iis corporibus sumpta fuisse, quae excoqui et cudi possent, ad quae non referebatur *Platina*, de quae tamen hodie non amplius dubium est, quippe experimenta Ill. Comitum DE SICKINGEN, maxima cum diligentia instituta satis dilucide probant, platinae naturam omnino solui posse.

C 3

§. V.

b) ad CLAUDIANVM. In *Eutrop. Lib. I. v. 27.*c) *Lib. IV. pharf. v. 404.*d) in *Lib. de religione peregrina pag. 294.*



§. V.

Metallifodinarum descriptio.

Metalla maiori sudore, herculeisque laboribus esse eruenda, iam patet ex germanica voce *Bergwerk*, quae industriam, immensamque significat operam, quam definit LVCANVS ^{e)}:

*Tunc exhausta super, multo sudore iuuentus
Extrahitur, duris silicem lassata metallis.*

Inde etiam ipsi fossores, auro similes colore dicuntur a STILIO ITALICO (Lib. I. v. 231.) ^{f)}

— — — *Astur auarus
Visceribus lacerae telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.*

Quod vero ad ipsas metallifodinas attinet, illa sunt loca subterranea ex quibus metalla, seu in genere omnia mineralia, reperta, in vtilitatem hominum eruuntur. *Fodina* germaniae dicitur *eine Zeche*, quia nimirum ad illas extruendas homines in certam societatem coeunt, et suas symbolas ad sumtos erogandos conferunt. Vnde *Symposia* et *fodinae sociales* veniunt; vid. EISENHARTUS de regali metallifod. iure, cap. 2. §. 2 et 4. Diuiduntur ratione qualitatum externarum,

L in

e) *Pharf. L. 4. v. 303.*

f) Et STILIVS *Sylv. Lib. 4. carm. 7. v. 14. ubi dicitur videri
Pallidus fossor pedit, erutoque Concolor auro est.*

I. in *dimensas* publica auctoritate praefecturae metallicae, *gemessene*, quod contingit, si spes metalli inueniendi iam ridet; sin minus, *non dimensae* audiunt, *unvermessene*;

II. in *cultas*, *bauhaftige*, et *derelictas*, seu *desertas*, *eingestellte*. Quod fieri potest interdum ex negligentia, uti LIVIVS^{g)} Philippum refert, „*metalla vetera intermissa reuoluisse, et noua multis locis instituisse*“;

III. in *steriles*, *Zubuszeehen*, quae sumtus requirunt; *mediae foecunditatis*, quae tantum producunt, quantum ad culturam exigitur; et *largae foecunditatis*, *Ausbeut-Zeehen*, quae praeter expensas lucrum s. prouentus largiuntur.

IV. In *maiores*, ex quibus metalla *nobiliora*, et *minores*, quibus *viliora*, v. c. ferrum, cuprum, stannum, etc. proueniunt;

V. In *Dominicas*, *Herren-Zeehen*, quae sumtibus solius Principis et *Sociales*, *Gewerkezeehen*, quae sumtibus plurimum consortium coluntur, vid. LEYSERI *Ius Georg. L. III c. 24. n. 26.*

VI. Sunt vel *surgentes*, vel *cadentes*, *steigende oder fallende*;

VII. Denique vel *simplices* vel *compositae*, *einfache oder zusammengeschlagnene*. De singulis vide EISENHARTVM de *regali*

g) Lib. 39. c. 24.

h) ideo sic vocantur, quia quasi coniunctim opus faciunt



regali metallif. cap. I. §. 3. seqq. et ordinat. metall. de 1589. Art. 35. in Cod. Aug. P. II. p. 186.

Sed iam ipsas fodinas ratione qualitatum internarum consideremus. Quaelibet illarum partes constituit vel *locales* seu *visibiles*, quae distingui, atque ad oculum demonstrari possunt, diuersisque nominibus pro diuerso fine insigniuntur, quibus *cuniculi Stoelln*, *putei Schaechte*, *mensurae Maafen*, veniunt. *Cuniculi* vero sunt fossae subterraneae eum in finem actae, vt e. gr. aquae a fodinis arceantur, ipsaeque puriori aëre repleantur. BEYERVS^{b)} illos distinguit in *superiores*, *medios* et *infimos*. Ceterum provoco ad *Ordinat. met. Saxon. Art. 77.* inprimisque ad nouam *ord. de cuniculis* anno 1749. Consulendus quoque est LEYSERVS in *Jur. Georg. Lib. III. cap. 24. n. 31.* et SCHAVMBURGIUS, *Einleitung zum saechf. Rechte. Exercit. VI. §. 9. pag. 520.* Iam venit altera paucis describenda partium visibilium seu localium species, quae *puteis* constat. Per quos intelliguntur foramina, lucis aërisque immittendi, et lapidum metalliferorum extrahendorum causa exstructa. Quatenus sunt *declinua*, dicuntur *Sink-* quatenus *perpendicularia Richt-* et si metallurgi per haec foramina descendunt, rursus-

b) in delineat. *iur. germ. l. II. c. 4. §. 14.* TITIVS *Lib. 8. c. 15. §. 21. In Jur. priv. Rom.* Germ. ab utilitate illos distinguit in *depraedantes Raubstoelln*, et *necessarios*, quos definiuimus, illique sunt 1. *imperfecti* s. *quaerentes*, 1. *perfecti* s. *hereditarii*, *Such- und Erbstoelln*, inde etiam separatum ius natum, quod dicitur: *Erb-Stoelln-Recht.*



rursusque se efferunt, *Fahr-Schachte*; rei metalliace vtilitatem maxime respiciunt, ideoque Mand. ELECT. IOH. GEORGII I. de anno 1621. C. A. P. II. p. 271 sancitum, vt ligna ad illos puteos exstruendos necessaria, accipiant, modo id indicent magistro montium, sibi que hac de re schedulam expetant, omnis tamen abusus est vitandus *Resol. reg. de anno 1697. C. A. P. II. p. 590.* vid. SCHAVMBVRGIVS l. c. §. 11. et BEYERII *Lexic. met. sub voce Schachte.* *Mensurae* denique sunt certa spatia nouis fodinis publica auctoritate adsignata, vt constet, quousque se extendant, et quinam sint eorum fines. Et dicuntur vel proxime superiores, vel proxime inferiores, die obre und untre *Maasen*, quae posteriores a fodina detecta in vallum, et priores versus montem, se extendunt. Acquiruntur per specialem concessionem, et lapidibus terminalibus designantur, ac tam a situ, quam a numero denominantur. In fodinis tamen dimetiendis focii illi a praefectura metallica ad hunc actum sunt citandi, quorum fodinae illis adiacent contiguac, iusta mensura designandis, possessorique suo concedendis. Quae omnia fideliter in libro metallico antigrapho (*Verleyh- oder Lehn-Buch*): sunt annotanda, de quo videatur *Ord. Elect. met. art. 13. pr. Joachimsth. Berg-Ordnung, Part. 2. art. 8. §. 1. Berg-Rechts-Spiegel, part. 2. art. 8. §. 1. HORN d. libr. Metall. Antigraph. §. 6. seqq.*



Sed his partibus corporalibus consideratis, pari breuitate ducti recensēbimus *incorporales* s. *intellectuales*, quae quidem mente concipi possunt, in sensus tamen externos non incurrunt. Abeunt in duas classes, *Schichte* et *Kuckusse*. *Schicht* duplici gaudet significatu; notat enim mox spatium temporis praefinitum, quamdiu ¹⁾ operae continuandae, quod per sex, octo vel decem horas definitur, prout necessitas ac consuetudo exigit; mox vero certam et majorem fodinae portionem, quae saepius est *quarta* vel *octava* ²⁾ vel ³⁾ *Kuckusse*. Illis praesunt certi rationum praefecti *Schichtmeister*, quorum officium in eo consistit, vt de gestis negotiis rationes reddant, sociorum commoda amplificent, operariis mercedem exsoluant, pensa laborum ordinent, atque omnia aequo materiae pretio instrumenta emant, ac suppeditent ad excolendas fodinas necessaria, ex *ord. met. Sax. Art. 47. et Resolut. der Bergwerksbeschw. d. 1709. n. 27. in Cod. Aug. P. II. pag. 386.* Confirmandi sunt vel a summo rei metallica capiteo vel a magistro, praecedente sociorum imploratione, vid. *SCHAVMBVRGIVS dict. l. §. 13. et 14.* Altera classis partium intellectualium comprehendit portiones minores et separatas die *Kuckusse* ⁴⁾ quae exhibent partes metallifodinarum

¹⁾ Vnde phrasis german. *Schicht machen*, est lapsio spatio, ad laborandum statuto, a labore recedere. Metallurgi enim diem in tres diuidunt partes, s. *Schichte*, pluribus vid. *LEYSERVM l. c. L. III. c. 24. n. 84.*

²⁾ Ita ab Auctore suo atque inuentore fuisse denominatas, tradit *BEYERVS all. loc. §. 19.* *EISENHART, LEYSERVS* et alii deriuant ab antiqua voce: *gucken*. Has vero hodie dicunt *Kuxe*.

dinarum indiuisas, publica auctoritate ideo constitutas, vt
 constet, secundum quam proportionem et prouentus et sum-
 tus sint distribuendi ac determinandi. Numerus illarum
 partium, a fociis colendarum, 128 constituit, quibus ac-
 cedunt IV. aliae ad ecclesiam, ciuitatem, nosocomium il-
 lius loci, et dominum fundi, *pars hereditaria, Erbkux,*
Erbtheil, Ackertheil, dicta, pertinentes, quippe quae ab
 omnibus impensis liberae ¹⁾ conceduntur, ex ordin. Met.
 Sax. Art. 72. et a SCHOENBERGII Informatione metallic.
 voc. *Grundherr.* Ilte vero maior numerus partium maxi-
 me obtinet in *fodinis maioribus*, argenti scilicet, quia in
 istis maiores erogandi sunt sumtus, adeoque vt fodinae quo
 plures inueniant cultores. Contraria ex parte in *minoralibus*
 obtinent tantum XVI. ad summum XXXII. partes, quia
 illae non iisdem indigent impensis. Si quis solus fodinam
 sumtu suo colit, vocatur *Eigenlehner*; si tres quatuor
 vel ad summum octo se coniungunt, *consortium Lehnenschaft,*
 si plures, *societas Gewerkschaft.* *Consortium* igitur et
societas modo inter se differt ratione numeri sociorum. *Con-*
sortium in *Saxon. ordin. M. cit. Art. XXXVI.* quoque est
 licitum, licet extra Saxoniam non permittatur; vid. LEY-
 SERI *ius Georg. L. III. cap. 24. n. 61.* Et HORNII *Iuris-*
prud. feud. c. 9. §. 29. Interim BEYERVS *loc. cit. §. 20.*

D 2

singula-

1) Ita ratione sumtuum dantur 128 partes, ratione numeri vero 132,
 quippe cum prouentus reuera in 132 portiones sint diuidendi.



singularium partium subdiuisiones non permittit, ita, vt dari non possint, *halbe, viertel, achtel etc. Kuxc.* Valde tamen errat, quippe singulis fere diebus vnam vel duas tertias et sic porro venditas audimus. Quod etiam saepe necessitas exigere videtur, v. c. si possessor eiusmodi specialis partis defunctus est, et plures heredes reliquit, qui in iura eius succedunt, tunc necessaria omnino subdiuisio est statuenda. Notandum quoque videtur, nec uxori, nec liberis sine speciali mariti et patris consensu partes metallicas ex libro antigrapho esse delendas, ac in neminem transferendas sine mandato speciali illius, qui easdem alteri cedere vult, quod dicitur, *abschreiben, abgewehren*; vid. a SCHOENBERGII Inform. met. voc. *Gegenschreiber. n. 2.* in illisque emtionem spei subesse, quia existere possunt proventus largi, interdum minores, interdum vero plane nulli; cessare igitur querelam laesionis enormis, docet RICHTERVS in *Decis. 99. n. 142.*

§. VI.

Partes metallicae a thesauro differunt.

Supra iam monui, metallorum proventus ex spontanea naturae operatione peruenire, ideoque merito ad accessiones naturales primaevae ratione originis esse referendos. Thesaurus vero est depositio metalli facta hominis demum, qui naturam atque originem suam fortitur.

Eius

Eius vero inuentio est accessio fortuita, a fortunae beneficio dependens, quia thesaurus fugit memoriam hominum. Interdum quidem quis tacite vota^{m)} laeta concipit:

Sub raistro crepet argenti mihi seria dextro!

cui tamen pulvis interdum pro solatio, respondet; seu uti apud *Lucianum* prouerbiū occurrit: ἀνδραγες ἀντὶ θησαυροῦ, carbones pro thesauro lucratur. Negare nolo metalla intuitu indagacionis fortunae auspiciis subesse, praesertim si dubium, num vena metalli inueniendi aperiatur, nec ne; maxime tamen *ab origine* esse distinctionem faciendam, contendere non dubito. Specifica enim in Saxonia inde oritur differentia inter *thesaurum* atque *partes metallicas*, quod hae ob internam qualitatem res immobiles constituunt; iste vero ob factam depositionem, facilemque perceptionem ad mobiles recte refertur. Clare hac de re disponit *Constit. Elector. 25. P. III.* his verbis: *unsere Vorfahren haben sich dessen verglichen, daß Bergtheile unter unbewegliche Güter zu rechnen*; ideoque maritus in illas succedere nequit, quia tantum successor est rei mobiliaris. Proventus vero ex his partibus percepti, quatenus sunt excisiⁿ⁾ ac quasi separati, pro mobilibus habentur, et per cit. *Const.* maritus defunctae uxore, eosdem successione iure lucratur. Cfr. *CARPZO-*

D 3

VIVS

m) Apud *PERSIVM, Sat. 2. v. 11.*
 n) So dem Hammer nicht mehr anhangen; vid. *HERTWIGS Bergbuch* voc. *Hammerwerk.*



VIVS in *defn. forens. P. III. C. 25. defn. 2. n. 9.* et MEN-
 CKENIVS in *π. Lib. I. t. 8. §. 11.* Specialis dispositio de-
 prenditur in *Ordin. de Tutor. nouiss. d. 1782. Cap. XVI.*
 §. 3. qua bona immobilia non, nisi in casu summae necessi-
 tatis, praeuio decreto iudicis alienari possunt. Partes ta-
 men metallicae pupillorum ita excipiuntur, vt praeter ne-
 cessitatem alienatio, ab iudice confirmata, valeat, vt itaque
 in fauorem pupillorum hac in re partes metallicae mobilibus
 aequiparentur, quia prouentus illarum maxime sunt incerti,
 expensae vero singulis annis maiores fiunt. Ita et thesau-
 rum in alieno fundo data opera quaerere non licet, *L. vnic.*
C. de thesauro; bene vero metalla, *L. 3. et 6. C. de metall.*
 quia maxime interest reipublicae, vt metallifodinae inue-
 stigentur. Olim maxime disceptabatur, vtrum thesaurus
 ad regiam potestatem pertineret, nec ne, ob textum *Iuris*
Sax. Lib. I. Art. 35. Alle Schätze unter der Erde begrä-
ben) etc. quem vulgo interpretati sunt de thesauro, donec
 Ser. Legislator per authenticam interpretationem *Const.*
Elect. 53. P. II. thesaurum a metallis distingueret, citatum-
 que textum de metallifodinis intelligeret, quas potestati
 suae reseruaret, thesauros vero priuatis concederet. Ita-
 que ex his nihil fisco debetur, nisi sint artibus illicitis quae-
 siti, & contrario ex concessio metallifodinarum iure cer-
 tum vectigal exsoluendum est, quae differentia iam iure ci-
 uili

o) Quae vox in vetustioribus codicibus ne obuenerit quidem, HORNIVS ta-
 men §. 14. l. c. et BEYERVS §. 3. illam non de *desoffo*, sed *effoffo* me-
 tallo intelligunt. Dissentit SCHILTERVS *Exercit. 45. §. 27.*

uili *L. 3. C. de metall. fundata* viget. Interim in eo conueniunt, vt vtraque species hodierno iure in usufructu non sit, in quo argumento pertractando iam occupabimur.

§. VII.

Partes metallicae fructus renascentes non sunt.

Est sane in vtramque partem ventilata quaestio, num partes metallicaepro fructibus renascentibus haberi possint, vt, hoc assumpto, in illis usufructus constitui possit nec ne. Expedit hanc rem paulisper ex placitis iuris rom. contemplari, ac veterum pariter ac recentiorum Ictorum quasdam recensere opiniones. Quo accuratius rem excutiamus, indaganda erit fructuum renascentium natura. Qui tunc demum renasci dicuntur, si similes fructus ex eadem substantia, ac sibi aequalia emolumenta, consueto tempore producuntur. Quam notionem si metallis applicamus, facile colligendum erit, illa renascentia non esse, quia ex metallo, quod semel excisum, ac radicitus quasi effossum est, simile non prouenit, sed priorem plane substantiam relinquit. Cum vero ad vsumfructum constituendum natura fructuum requiratur, vt sint renascentes, dubia suboriebatur quaestio, num metalla essent in fructu? Romani Icti ancipites haerent, et distinguunt inter metalla renascentia et non renascentia, *VLPIANVS* in *L. 7. §. 13. D. solut. matr. marmora* ab usufructu eximit, addita limitatione, *nisi lapis renascatur*, reliquas vero metallifodinas vtique in fructu habendas esse statuit. Eademque placita repetit in *L. 9. §. 2.*

9. §. 2. et 3. cit. tit. rem tamen ita proponit, vt eluceat, ipsum fuisse dubium, inque opinione sua inconstantem. His veterum sententiis ipse LEYSERVS turbatus est, in *Med. ad π. spec.* 106. m. 7. statuens, difficile esse determinare, quae metalla natura renascendi gaudeant, ideo indistincte illa renascentia pronuntiat, non sat idoneis suffultus rationibus. DVARENVS in *opp. pag.* 352. contendit, respiciendam esse vtilitatem, ob quam receptum sit, vt habeantur in fructu, sed se ipsum refutare videtur, si ita fructus describit: qui ex terra producerentur, et sublatis, perceptique redirent per interualla. Sed haec de metallis valere non posse, satis docet experientia, ideoque ipse hac nititur praesumptione: *quodammodo renasci videntur.* Pari ratione HELLFELDIUS in π. §. 633. ius romanum sequitur, et usufructuario addicit metallorum fructus, ipse tamen addicit, ad eundem non pertinere, quae accessionis iure ipsam substantiam augeant, et sic thesaurus non fit in fructu. A thesauro vero hac in re eommodam ad metalla valere conclusionem, quae maxime fundi substantiam augent, negari nequit. Ex his igitur rationibus CARPZOVIUS *P. III. Const. 25. Def. 3.* veriore cum TITIO²⁾ amplectitur sententiam, qui conceptis verbis dicit, in nulla regione accidere posse, vt metalla renascantur. In Saxonia lis satis est decisa. Ita enim SER. ELECTOR AVGVSTVS in *Const. 25. P. III.* de partibus metallicis sanxit. „So sollen dieselben nicht vor fructus renascentes und wachsenden Früchten gehalten
²⁾ in iure Priv. Lib. 3. c. 12. §. 11.



achtet werden“ ita vt nec patri nec marito in partibus metallicis vfructus competat, sed prouentus illarum vxori ac liberis maneant salui atque integri, reditusque ex iisdem vtrique iure vfructus cedant. Qui prouentus (*Ausbeute*) ex hac ratione in locum dotis succedunt, et moto concursu gaudent legitima prioritate, quam sententiam CARPZOVIVS l. c. amplectitur. Extra tamen Saxoniam, vt in Ducatu Brunsvicensi pro fructibus renascentibus metalla haberi, testatur EISENHART *de regali metallif. iure c. 4. §. 20.* Interim hanc dubiam quaestionem fatis excussit AGRICOLA *de vet. et nouis metall. L. 2. cap. 15. et de ortu et causis subterr. Lib. V. c. 1.* vt alios Auctores facile silentio praetermittere possim.

§. VIII.

Ad quem iure naturali et civili metalla pertinent?

Paucis modo quaestionem attingamus, cuinam Ius Naturae ac Ciuile metalla adscribat, vt deinde magis eluceat, antiqua tempora maxime ab hodierno temporum statu esse secernenda. Quod ad ius naturae attinet, secundum illud maxime aequitati consentaneum est, vt quilibet accessionibus ex re propria prouenientibus fruatur, atque a nemine in percipiendo impediatur. Cum enim in statu naturali imperium humanum extulet, quisque rebus propriis suo arbitrio vti fruique potest. Metalla igitur ad dominum fundi pertinebant, quia natura se non solum extendit ad superficiem, sed et ad imos terrae recessus. Inde illud valet

E

axio-



axioma: *quicquid sub fundo meo est in imis terrae cauernis ad ultimum usque centrum, meum est, perinde ut aer supra fundum ad coelum usque*, vid. HORNIVS in *Iurisprud. feud. c. 9. §. 9.* Si quis vero fundum, a nemine possessum, occupabat, ex quo metalla producebantur, illa, tanquam res nullius cedebant occupanti. Ita quoque iure cuiuslibet erat permiffum, in viscera fundi sui inquirere, venamque metallicam detegere, ex qua prouentus sibi acquirebat. *L. 12. §. 5. π. de usufr. earum rer. quae usu consum.* Distinguebatur a Romanis inter metallifodinas *publicas ac priuatas*. *Publicae* enim, si in loco publico detegebantur, cum omnibus emolumentis ad Imperatoris potestatem referebantur, ac nemini, nisi redemptori, ius metalla fodiendi, a Caesare concedebatur, *L. 15. π. de publican.* et poena in eum statuebatur, si quis ex *metallis Caesarianis* aurum argentumque furto abstulisset. *L. 6. §. 2. D. ad L. Iul. pecul. et L. 38. pr. π. de poenis*; *Priuatae* vero, non habita metallorum ratione, ad dominum fundi libere pertinebant. Quae tamen iure Codicis, et quidem *L. 1. de metall.* iam immutata videntur, ita, vt iam tunc temporis certus canon ex *balluca*⁹⁾ seu metallo reperto, esset exsoluendus, immo ipsae fodinae, vt aliae possessiones erant indicandae, et in censum veniebant; arg. *L. 4. §. 7. π. de Censu.* quae tamen legibus Atticis eximebantur hac dispositione: τῶν ἐν τοῖς ἔργοις μὲν ἀποφαίνεν, bono-
* rum,

⁹⁾ Qua intelligitur aurum effossum atque impurum, ex quo octo scrupuli fisco erant pendendi. Cfr. BRUNNEMANN ad *L. I. C. de Metall.* et GOTHOPREDVS ad eandem.

rum, quae in fodinis sunt, nihil indicanto; et simili modo perspicue excipiebantur: πλὴν τῶν ἐν τοῖς ἔργοις ἀργυρείοις ὅσα οἱ νόμοι ἀτελεῖ πεποιήκασι, quae in argenti fodinis erant, quas leges immunes fecerunt. Consulendus est hac de re PETITVS in *Legibus attic. tit. de muneribus et honor. pag. 20.* et POTTERVS in *Archaeol. Graec. Lib. I. c. 26 tit. IV. de muner. et honor.* Sed horum omnium insignem mutationem iam inspiciemus.

§. IX.

Metallifodinae regalibus annumerantur.

Expediti iuris res est, metalla hodie inter res publicas referri, quas quilibet Princeps in territorio suo, vi domini eminentis, iure occupet. Penes ipsum enim est cura reipublicae, onusque illam sustentandi, ideoque aequitati conuenit, vt res sibi, a nemine occupatas, vindicet, regali potestati adscribat. Regalia vero sunt iura, quae supremae in republica maiestati competunt ad decus et splendorem eiusdem tuendum. Spectant inprimis ad res, quas ciues, non, nisi ex speciali priuilegio, acquirere possunt. Dominium enim illud, quod princeps, vi superioritatis territorialis habet, in rebus illis, quae sub terra nascuntur, confundi nequit cum priuatorum dominio, quod res supra terram natas comprehendit. Quod vero ad ipsum tempus attinet, quo metallifodinae regalibus adscriptae, plerumque ad *FridERICI I Imperatoris* aetatem id refertur ex *L. II. F. 56.* a quo nimirum reliqui Imperatores ius illarum sibi



foli tribuerint. At hoc iam antiquioribus temporibus fuisse introductum, testantur illorum Imperatorum donationes, metallifodinarum concessiones, ob easdemque confecta diplomata. Sic iam Caroli M. donationis chartam exhibet GOLDASTVS *T. I. Const. imp. pag. 17.* qua comitibus Clichensibus ius fodiendi aurum et argentum, et omnia alia metalla fuit concessum. Quae licet a PFEFFINGERO, MEIBOMIO, aliisque in dubium vocetur, ex illa tamen hoc probari potest, maturius hoc regale innotuisse, immo ne prostant quidem firmæ rationes, quibus illud diploma omni ex parte pro supposito, haberi possit, quas maiori hic diligentia examinare instituto nostro non conuenit. Sequentium tamen Imperatorum sanctiones ac chartae clarius disponunt, quae in suo ordine leguntur apud PFEFFINGERVM ad VITRIAR. *L. 3. t. 18. §. 28. Tom. III. pag. 1446.* Illis modo addere placet aliam *Henrici VII.* comitibus ab *Ortenburg* exhibitam, cuius tenorem WIGVL. HUNDIVS¹⁾ retulit, qua dictis comitibus *omnia fossata auri et argenti, quae in terra et in bonis suis inueniri poterant,* largitus est, haec addens: *quae ad nos et imperium ex antiquo iure approbato, pertinere dignoscuntur.* Dilucide igitur Imperator ad antiquum ius prouocat, quo antecessoribus iam diu metallifodinae reseruatae fuerint. Electoribus deinde a *Carolo IV.*

¹⁾ ad VITRIAR. *Lib. III. t. 15. §. 1. pag. 1056. Tom. III.*

²⁾ *Bayr. Stammbuch P. II pag. 29.* et ab OLENSCHLAEGER ad *A. B. §. 53. pag. 188.*

IV. ex *Aurea Bulla* t. 9. §. 1. regale hoc circa metalla fuit confirmatum; qua indistincte omne genus metalli ipsorum imperio addictum. Sed commode obtineri nequit, quasi Electores sine speciale priuilegio hoc ius non antea exercuerint, quin potius eodem, ob potestatem, in territorio suo competentem, vfos fuisse, probabile est. Verba enim *A. Bullae c. loc.* hoc claris verbis innuunt, quibus metallifodinae ipsis ita conceduntur, vt illas sub eadem teneant conditione, *prout possunt seu consueuerunt tales possidere.* Ius igitur, quo tanquam territorii sui superiores fruebantur, maiori confirmatione fuit stabilitum. Quod ex eo satis deduci potest, quia Imperatores olim ratione metallifodinarum graves mouerunt lites, illasque sibi vindicare *) studuerunt, quo acquirendi modo non indigniffent, nisi quilibet dominus territorii, iure cum ipso regionis dominio connexo, illas possedisset ex concessione tacite approbata. Ex quibus Imperatori nihil competebat, nisi ius exigendi decimas, vt in Diplomate *Friderici II.* **) *Imp. Ottoni duci* anno 1235. dato, occurrunt *decimae Goslariae, imperio pertinentes, quod plerique de fructibus agrorum*

E 3

rum

*) Quod testantur annales Vetero-Cellenses apud MENCKENIVM *script. rer. germ. et Sax. Tom. II. pag. 409.* vbi: *audiens Rex Adolphus fodinam argenti Freyberg fore, et esse cor Marchionis, etc.*

**) Apud MEIBOMIVM *Tom. III. rer. Germ. pag. 207.* et PFEFFINGERVM ad *Vitriar. Tom. III. p. 1451.*



rum intelligere voluerunt, sed MEIBOMIVS ^{v)}) monstraui, decimas metallicas fuisse imperio referuatas. Sequentibus temporibus etiam illas Principes praestare recufabant, ideoque *Albertus I. Imperator Wenceslao*, Regi Bohemiae de decimis praestandis metallicis litem denunciauit, auctore DVBRAVIO (*Rer. Bohem. Lib. 18. pag. 174.*). Exinde concludit HORNIVS ^{w)}) *Carolus IV.* commotum fuisse, ne in posterum eiusmodi quaestiones litigiosae agitentur, vt in lege publica non solum Regi Bohemiae, sed et omnibus Electoribus sine omni restrictione, ac limitatione, ius metalli solum sibi vindicandi ac sine iniuria possidendi, sanctius constitueretur, quae omnia quoque in *tit. IX. §. 1. A. B.* conceptis verbis sancita leguntur. Quod ius deinde aliis principibus et statibus imperii partim expresse, partim tacite, tributum est, quia non facile a superioritate territoriali, qua gaudebant, poterat separari. Iam PETER & LVDEWIG ^{x)}), alique animadverterunt, Marchiones Misniae sine speciali concessione ac priuilegio, metallifodinas coluisse. Diplomata enim declaratam illarum concessionem ac

v) De metallifod. Harzicarum origine, thes. 54. et HORNIVS l.c. §. II.

w) loc. cit. §. 10.

x) In commentar ad Aur. Bull. pag. 820. et KLOTZSCH im Versuch einer Chur-Sächsischen Münzgeschichte I. Theil pag. 5. apud quem plura legi possunt in eleganti libello: von dem Ursprunge der Bergwerke in Sachsen.



ac confirmationem silent. Et sic hodie, missis his omnibus, e dominio eminente quilibet Princeps in suis terris regale ius metallifodinarum nactus est, quod EISENHARTVS, BEYERVS, HORNIVS, aliique exposuerunt. Restant nunc singularia ex illo dimanantia iura, nobis iam considerata, arctissime inter se coniuncta.

§. X.

Ius metallicum.

Ex hoc vero regali iure, quasi ex fonte claro fuit aliud, saluberrimas circa metalla condendi leges, quibus maxime fundatur salus rei publicae, et cura, metallica negotia quocunque modo amplificandi. Inde venit *ius metallicum*, quod in significato lato, nihil aliud, quam complexum variarum legum, pactorum, privilegiorum ac consuetudinum, in sensu speciali vero, *facultatem moralem*, qua personae certis in casibus ius circa metallifodinas competit; et in specialissimo denotat ipsam legem, inferiores in causis metallicis ad obsequium obligantem, ex quo iis fuit rite publicata. Illius finis pariter est latissimus. Non solum enim iniungit, quid ciuibus sit observandum, quid omittendum; sed et respicit subsidia atque adminicula, negotia metallica magis magisque in communem utilitatem dirigendi. *Prudentia legislatoria* SERENISS. ELECTORVM SAXONIAE hac in re verbis exprimi satis non potest, atque aliquando serae posteritati,



steritati, vti nobis, insignis erga Patriam amoris et prouidæ curæ, perpetuum erit encomium. Iam vero, si in genere iuris metallici originem respicimus antiqui, ipsius natales maxime incerti deprehenduntur. In legibus Veterum Germanorum, Anglorum, Werinorum, Saxonumque obscura illius vestigia reperimus, quia non speciales leges de metallis latae, sed potius quaedam sanctiones aliis legibus fuerunt insertae atque immixtae. Perperam vero quis statuerit, Germanos antiquos nullas plane leges metallicas, sanxisse, cum potius iam in legibus Wisigothorum Lib. VII. Art. VI. dispositio de *falsariis metallorum* obuenerit; licet hoc pariter in dubium non vocandum, illos magis iure consuetudinario, ac non scripto, quam scripto, usus fuisse, donec *Carolus III.* certius aliquid statueret, capitularia sua publicaret, ac consuetudine introducta iura in scripturam redigenda, curaret. Atque ita sequenti tempore nebula circa leges metallicas obducta, quodammodo euanescere videbatur, non tamen omni ex parte clara lux emicuit. *Deucerus* y) quidem asserit, *Ottonem III. Imp.* nonnullas ordinationes metallicas promulgasse; gratius tamen nobis fecisset officium, si illas integras conseruasset. Ipse fatetur, ab illo tempore per ducentos annos, paucos extitisse Principes, quibus

curæ

y) In corpore *Iuris metall.* quod prodit Schlackenwaldi 1563. in prooem. von der Bergwerke Anfang.

cûrae cordique fuerit, res metallicas bonis ordinationibus stabilire. Quam ob causam maxime laudat *Wenceslaum IV. inter Reges Bohemiae. sextum*, qui statim sub initio regni in id fuit intentus, vt negotiis metallifodinarum, maxime deperditis, noua ordinatione *) subueniret. Nec praeter-eundae sunt *Leges metallicae Goslawienses*, quas exhibet LEIBNITIVS in *script. Brunsvic. T. III. pag. 535.* quas ille, quod ad priorem attinet collectionem, anno 1303. latas esse, fat grauibus argumentis monstrauit. Ab his igitur temporibus epocha iuris certi metallici incipit, quam usque ad nostra auctam, summopere nobis gratulamur. Sed propositi angustos transgrededer limites, si omnes ordinationes metallicas, praesertim peregrinas, adducere vellem. Coronidis loco nominasse sufficiat ordin. *Ferdinandi I. a valle Ioachimica* dictam, atque anno 1548. promulgatam, quam simul cum aliis collectam videmus in corpore iuris metallici, quod prodiit Francofurti ad Moen. 1698. rursusque auctum Viennae 1703. sub titulo: *Corpus Iuris et Systema rerum metallicarum.*

§. XI.

Iuris metallici variae divisiones.

Vti in omni republica actiones ciuium vel legibus expressis, vel introductis consuetudinibus determinantur,

*) dicta: *Berg-Buch oder Berg Recht der loeblichen Cron Boheimb de ao. 1280.* quae reperitur in *DEVCERI Corpore iuris metallici.*



ita et idem de negotiis metallicis valet, vt commoda inde oriatur diuisio in *ius scriptum*, quod claris verbis promulgatum, quia nititur expressis legibus et pactis; et non *scriptum* seu *consuetudinarium*. Porro, quatenus metallifodinae regalibus domini territorialis annumerantur, ipsique ius priuatiue reseruatum, et imperii placitis confirmatum, attingunt, alia species *iuris publici* metallici nascitur, quod nititur legibus imperii fundamentalibus, Aurea Bulla nimirum, Pacis Westphalicae Art. 82. et Capitulationibus Imperatorum; quatenus vere Princeps ius illud sibi soli competens, priuatis vtendum concessit est *priuatum*, quod non solum iura ac priuilegia ipsis ratione metallifodinarum concessa, sed et officia sibi inuicem praestanda respicit. Inde etiam *iurisprudentia metallica*, siue ars leges metallicas recte interpretandi, atque ad facta obuenientia applicandi, esse potest vel *publica* vel *priuata*. Ad priorem referenda est prudentia *legislatoria*, per quam Princeps absoluta potestate gaudet, leges metallicas in terris suis ferundi; ad posteriorem vero *consultatoria* et *iudicialis*, quando ipse de iure suo aliquid remittit, priuatorum vero consilia ac decisiones auctoritate sua tuetur ac confirmat.

Si vero in ipsis causis metallicis delicta obueniunt, quae poenas vel corporis afflictiuas vel capitales secum trahunt, *ius criminale metallicum* agnoscimus, vti in genere omnes defraudationes ac furtinae ablationes grauioribus poenis coercentur, quas

quas SCHAVMBVRGIVS *) vna cum legibus, quibus illae fancitae, recenset; vti et maxima attentione inquirendi, poenaeque gravissima affiendi sunt tumultus metallurgorum ex speciali lege †), quia illi reipublicae sunt perniciosissimi. Sed si ius metallicum sine discrimine ac absolute intuitu interpretationis, applicationis, ac legum obseruandarum, confidero audit forense (*practisches Recht*) ad quod praecipue *processus metallicus* refertur. Ultima denique *iuris metallici* diuisio versatur in iuribus *domesticis* et *peregrinis*, seu subsidiariis, quae posteriora non aliter in Saxonia nos obligant, quam si conceptis verbis sint recepta, vti ordinatio illa vallis Ioachimicae in *Mandato de anno 1713. §. 16. C. A. P. II. p. 478.* in subsidium vocatur, vt causae dubiae ex eadem decidentur. Hae peregrinae igitur leges praeter receptionem tantummodo illustrando seruiunt, quod praecipue tunc maximae vtilitatis erit, si iura patria ex iisdem defuncta deprehendimus, vti ALBINVS ‡) refert anno 1294. ius Freibergense ex iure metallico Iglaviae fuisse depromtum, a Marchione Misniae, *Friderico Robusto* promulgatum, quod plerumque venit sub titulo hoc: *Weichbild der*

F 2

Stadt

- a) In der Einleit. zum Sächf. Rechte Exercit. VI. §. 30. CAREZOVIVS in *Praxi crim. P. II. Q. 85. n. 47.*
- b) *General-Verordn. wider das Auskaufen und Tumultuiren der Bergleute* von 25 Febr. 1739. in *C. A. T. III. P. II. pag. 1374.*
- c) In *chronico met. Misn. t. 7. pag. 64 et t. 2. pag. 16.*



Stadt Freybergk, conf. MOLLERI *chron. Freyb. P. I. pag. 169. 144. P. II. pag. 77.* Et sine dubio *Weichbildum* illud easdem leges comprehendit, quas FABRICIVS^{d)} *leges civiles et iura metallica, Freybergensibus conscripta*, vocat, quia alius legis, illo tempore latae, nusquam mentionem fieri, legimus. Quae leges antiquae patriae vigore suo adhuc gaudent, nisi recentioribus iis sit derogatum. Quod etiam de variis, successu temporis latis ordinationibus metallicis valet, quarum antiquissima incipit ab ELECTORE ERNESTO et DVCE ALBERTO^{e)} 1479. emissa *uf den Schneeberg*, quam aliae plures sequentibus annis exceperunt, quarum contenta tamen, ne nimis longus esse videar, legi possunt apud MELZERVM *in chron. Schneeberg. pag. 266. 395. 1114 et 1173.* Hodie potius inter alias animaduertenda est potissimum illa, quae publicata a DVCE GEORGIO de anno 1536. *C. A. P. II. pag. 75.* quae deinde a MAVRITIO reuisa prodit anno 1548. *C. A. P. II. pag. 113.* tandemque aucta ab ELECTORE CHRISTIANO I. 1589. *C. A. P. II. p. 186.* quae usque ad tempora nostra in causis decidendis metallicis regula ac norma habetur, ac denuo typis excusa fuit

d) *In annal. Freyberg. ad Annum 1294.*

e) Continentur hac Ordin. imprimis vt in montanis regionibus sex rationum praefecti, *Schichtmeister*, constituantur, quos capitaneus et octo rationum domini, *Rechen-Herren*, dirigant, atque semestri spatio, semper rationes reddantur.



fuit auctoritate electorali anno 1775. in omnibus priori conueniens, et, si a DD. allegatur, semper illa subintelligenda est. Ceterum reliquas sanctiones et publicata generalia suo ordine, illorumque argumenta recensent HAYMIVS ac RICHTERVS in digestis iuris Sax. sub singulis vocibus, imprimis vero sub v. *Bergsachen*; vid. pariter SCHAVMBVRGIVS l. c. P. II. Exercit. VI.

§. XII.

Leges metallicae diuersas personas respiciunt.

Iuris metallici, vti omnium legum, fons supremus est Princeps, a quo cura atque vtilitas rei metallariae dependet, cuiusque fulcrum iure appellatur. Quo vero maiori attentione, debitoque obsequio leges seruentur, versantur iura metallica vel in personis, quibus cura gerendae rei metallicae immediate a Principe est demandata; vel illas respiciunt, quae in genere ac diuerso modo in negotiis metallicis, rite obseruandis, ad obsequium obligantur. Inde omnes commode diuidi possunt in *sociales*, *Gewerken*, atque *officiales*,^{f)} *Officianten*. Posteriores, ratione dignitatum, quibus sunt constitutae, distinguuntur I) in superiores seu primi ordinis, quibus omnes illae magna reuerentia adnumerandae, quae in *Collegio metallico Dresdensi splendido (Berggemach)* et *Iudicio metallico supremo (Ober-Berg-*

F 3

Berg-

f) Considerandae sunt 1) quatenus Principi et Sociis simul, 2) quatenus illi soli officia praestant, et 3) quatenus vtilitati sociorum vnice inserviunt.



Bergamt) quod *Fribergae* floret, causas metallicas gubernant. Dirigitur hoc a *summo rei metallicae Capitaneo* (*Ober-Berg-Hauptmann*) quem sequitur *rei metallicae Capitaneus* (*Berg-Hauptmann*) cui adiunctus *Vice Capitaneus*, *Consiliarius metallicus* (*Bergrath*) cum reliquis *Consiliariis*, (*Berg-Commissions-Räthe*) et praefecturae superioris metallicae *Procuratore* (*Ober-Berg-Amts-Verwalter*). Quorum summum officium in eo consistit, vt totum statum metallicum dirigant, ac conseruandis metallifodinis, earumque culturae, inuigilent. Post illos II) sequuntur *Mediis* seu *secundi Ordinis*, v. c. superior *Decimator* (*Ober-Zehendner*)^{g)} qui decimas recipit, et cum reliquis scribis et secretariis (*Aus-oder-Recessschreiber*)^{h)} separatam Praefecturam (*Zehend-Amt*) constituit. Ord. metall. Sax. Art. 10. Huc quoque pertinent *Magistri montium* (*Bergmeister*) labores ordinantes atque illos obseruantes, litesque dirimentes. Horum cuique adiiicitur *Scriptor montium* (*Bergschreiber*) qui iurisperitus, idemque examinatus esse debet. *Iurati* (*Geschworne*) esse debent bonae fidei viri, qui fideliter negli-

g) Ad quos pariter pertinet *das ganze Hütten-Wesen*, vti illud ordinatur in *der Gener. Schmelz-Administration* de ao. 1710. C. A. Tom. II. pag. 403. Anno vero 1764. noua auspiciis XAVERII publicata est dispositio, oder *Verordnung wegen der Gener. Schmelz-Administration*.

h) Vocatur et *Urbarius*, *Urbärer*, vid. *Berg-Buch* oder *Berg-Recht der loeblichen Cron Boheimb*; l. I. c. 2. 3 et 4. in DEYCERI corp. I. met. legislator ibi c. 2. deriuat a voce *urba*, i. e. von der *Zehut* oder *unser* *zusehenden Gebür* von *Bergwerken*.

i) Vocantur *ibid.* *Scriptores urburae* c. 8.

negligentiam et flagitia ab operantibus commissa, denuntiant; nec non et *antigrammateus* (*Gegenschreiber*) *Ord. met. art. XII.* partium metallicarum venditor (*Kuxkränzler*,) *Resol. met. d. 1709. §. 20.* et *Praefecti rationum*^k) (*Schichtmeister*) qui proprie a sociis constituuntur, ut res eorum curent, rationesque iustas edant. *Ord. met. art. 45. sqq.*

III) Tandem veniunt *inferiores* seu infimi Ordinis, quorum primum locum tenet *Scanfor, der oberste Bergmann,* vel *der Obersteiger*, qui reliquos tanquam dux et auctor, praecedit. Quae personae, hactenus recensitae, secundum formulam, in *Ord. M. Art. 3.* praescriptam, iureiurando sunt adstringendae. Interim metallarii pro ratione laborum suorum diuersis etiam nominibus insigniuntur, quae adducit *V. SCHOENBERGIUS in inform. metall. pag. 6.* et *LEYSERVS in Iure Georg. Lib. 3. c. 24. n. 15.*

Alter personarum ordo, intuitu cuius leges promulgantur, est *sociorum* s. *colonorum*, quibus venia metallifodinarum colendarum conceditur. Quilibet Socius esse potest, excipiuntur tamen Praefecti metallici (*Bergbeamte*) ut non plures, quam VIII. partes metallicas (*Kuxe*) possideant; *Resol. metall. de anno 1709. §. 22.* mente capti et minores, non, nisi consensu curatorum vel tutorum, admitti. Ex qua tamen concessione consequuntur *ius partium reale,*

^k Ibid. l. c. dicuntur *gemeine Gruben-Schreiber, welche den geschwornen Urbür-Schreibern um des wöchentlichen Aufschmits oder Rechnung willen, die sie ihnen alle Wochen von der Berg-Kost thun sollen, unterthaenig und gehorsam seyn sollen.*



reale, in ipsa fodina fundatum, partim *personale*, e quo insignibus privilegiis, legibus metallicis confirmatis, vtuntur, quae tamen infra paucis attingemus. Iam vero ipsum modum concessionis, metalla scilicet indagandi, excutiendum sumamus.

§. XIII.

Quatenus priuatis metalla scrutari liceat.

Regalia quidem eius naturae atque indolis sunt, vt vnice ad supremam Principis spectent potestatem; in eius tamen arbitrio positum est, quousque ipse illis velit vti, vel priuatos illorum participes ex mera liberalitate reddere. Ita et metallifodinae iura illis concessa fuisse, atque munificentius hodie adhuc tribui, experientia teste, scimus. Cum enim in metallis repertis neruus rerum gerendarum ac reipublicae commercium consistat, illius¹⁾ salus maxime exigere videtur, vt fodinae plures cultores inueniant. Quam ob causam cuiuslibet non solum in fundo suo potestas remissa est perscrutandi imam tellurem, *Schürfen*, *einschlagen*, an vena metalli detegatur; sed hoc quoque cuiuslibet in alieno pariter est licitum, terram fodere, ac metalla inuestigare, (*Es hat jedermann ein freyes Schürffen*) modo scrutator doceat, se non vexandi gratia hoc facere, potius spe se certa duci inueniendi metalli, vt omnis dolus et malitia excludatur.

1) vid. v. IVSTI *von dem Nutzen des Bergbaues Part. I. §. 226.* Laudanda est hoc loco: *Der verkannte Werth des Sächsischen Bergbaues und desselben gute Sache.* Leipzig 1781. 8vo.



cludatur. *Spec. metall. P. II. c. 1. §. 2.* Nec locorum distinctio habetur, sintne propria, an aliena, aut alius conditionis. Nihil enim excipitur, quam *agri sati*, et vt vulgo dicitur: *Tisch - Bett - und Feuerstatt*; vid. a *SCHOENBERGII inform. metall. pag. 132.* quae latius recenset *SPANIVS*,^{m)} vt nec fundus ecclesiasticus, nec alius locus, alias pro priuilegiato, habendus, excipiat. Immo ipsi scrutatori certa praemia exponuntur in *ord. metall. Art. 2. et Resol. de anno 1709. §. 4.* quae *Schürfgelder* audiunt, eum in finem statuta, vt cupiditas indagandi quocunque modo augeatur. Inuestigatione facta, si spes reperiendi metalli fulget, illiusque vena apparet, in colendo ac fodiendo inuentor pergere nequit, ne alius ipsi eripiat, quod inuenerit, sed potius statim magistrum montium, a principe designatum, de iure metallifodinarum concedendo adire debet, quod dicitur germanice *muthen*, et nihil aliud denotat, quam petere a Principe, vt quis veniam accipiat detectam venam colendi. Qua concessione ille non indiget, qui specialiter in fundo suo regali hoc inuestitus est, vid. *SPANIVS l. c. tit. 11. §. 2. litt. C.* Sed dubia valde ex *Art. VI. ord. met.* quaestio mouetur, num magister montium etiam auri fodinas concedere possit, cum cit. *Art.* hanc potestatem ad omnia

m) *Berg-Urthel tit. I. ubi ita: Schürffen, suchen und einschlagen nach Erzgaengen, Klüften und Geschnicken ist einen jeden vergönnet und frey, daran kein Grund- oder Besitzer der Güter, hindern kann, so seyend gleiche geistliche Kirchen-Güter, Freysaette, oder Schloß-Güter etc. wie es heißen mag, da sich Bergwerk findet.*

G



omnia metalla extendere videtur; sed rectius hunc locum stricte interpretamur vid. HORNIVS in *Jurispr. feud. cap. IX. §. 21.* Sed ex sola inuentione nudum competit ius inuentori, eo ipso tamen, cum petierit concessionem, gaudet iure praelationis, ita, vt ipsi nemo in petendo praeferatur, quod exprimitur: *die Alten oder Jungen im Felde*, et ius *Senioratus* vocatur; de quo pluribus egit DIETZIVS in *dissert. Erf. 1727.* habita. Modus petendi fit per certam Schedulam (*Muthzettel*) in qua accuratè locus venae repertae, illius qualitas, qualesque prouentus probabili ratione sint sperandi, adducenda; quibus indicatis, a magistro metallico ocularis loci inspectio instituenda, ne forte fodiendo vicinis fodinis detrimentum inferatur. Quae omnia si recte se habent, tribuitur a Praefectura metallica concessio seu confirmatio per litteras inuestiturae, et quia vicem illius supplet, vocatur *Belehnung, Bestätigung*. Omnia tamen ad hunc actum pertinentia libro *antigrapho*ⁿ⁾ inseruntur, in quo nimirum omnes concessiones, focii, atque in genere omnia, ad partes metallicas pertinentia, annotanda sunt; conf. a SCHOENBERG *Inform. met. pag. 46. et 47.* Quae inuestiturae petitio est necessaria, illiusque concessio conceptis verbis fieri debet, nec praesumenda est. Inuentor enim, hac neglecta, grauem incurrit poenam. Extendenda

ⁿ⁾ vid. HORNIVS de libro *antigrapho (Gegenbuch) §. 6.* ideo dicitur, quia quasi se ad alium librum refert *Lehnbuch, Gewercke. Bergl. Buch.* Magna huius libri est auctoritas, vt ex illo possessio partium metallicarum, vti ex alio instrumento publico, probari possit.



da pariter est ad omnia metalla, nec valet distinctio in nobiliora et viliora. Olim in genere mineralia ab hoc regali fecerant, quae priuati sine speciali concessione sibi vindicare possent. In Saxonia tamen res est decisa, ut etiam alumen, nitrum, lapides ac lithanthraces non eximantur, ex Edict. d. anno 743. *von Steinkohlenbrüchen*. Vti iam in Ord. IOH. GEORGII III. quam *Sereniss. Elector* proposuit 1687. hac de re *Part. II. Art. 2. in C. A. P. II. pag. 366.* sancitum est, ut regale illud sine restrictione *specialiter* sit concedendum. Inde quoque viliora metalla fodere non licere, docet SPANIVS,^{o)} quod etiam naturae rei conuenit, quia regalia sunt strictissimae interpretationis, et speciali concessione debent esse priuatis concessa. Quod ad locum attinet, nihil interest, num sit *proprius* fundus, in quo metalla inuestigantur, an *alienus*; utroque in casu inuentor tutus esse debet impetrata confirmatione. Vt tamen Dominus, si alius in fundo suo venam inuenit, solatium et compensationem aliquam recipiat, assignatur ipsi portio priuilegiata (*Erbkux*), sociorum impensis colenda. Obligationem illius praestandae HORNIVS^{p)} deducit ex facto extraordinario, ideoque actionem in factum concedit; TITIO^{q)} videtur esse species permutationis, quae tamen vix fingi potest, quia supponit pactum, et libere fit; in hoc

G 2

vero

o) *Berg-Urthel tit. 2. §. 2. HORNIVS §. 16. Ord. niet. Art. 6.*

p) *In iurispr. feud. cap. 9. §. 30.*

q) *In iure priv. Germ. L. 4. c. 14. §. 17.*



vero casu haec prorsus exulant. Dominus fundi enim inuitus ad hoc negotium ineundum cogitur. Potius haec obligatio nititur legibus, atque imprimis aequitate naturali, ne alter locupletior fiat eum alterius damno; indeque fit, vt etiam priuilegium huius *portionis hereditariae* sit annexum fundi, ab illoque nec separari, nec alienari possit, et ad quosuis possessores transeat, quia continetur sub Hypotheca expressa et tacita; *Ord. Met. Art. 72.* HORNIVS de *hypotheca legali* in *fodinis et partibus metallicis*, vbi plura leguntur, vt opportune reliqua sicco pede transire possimus.

§. XIV.

Metallifodinarum concessio, priuatis facta, ex speciali iure fuit.

In antecedentibus vidimus primarias causas, et singulares rationes in acquirendo atque impetrando iure metallifodinae exacte obseruandas. Iam vero ad ipsum ius concessum ducimur, eiusque naturam ideo examinandam putamus, quia inter DD. non conuenit, quale negotium intercedat inter Dominum superiorem atque illum, cui specialiter concessum, instituere sumtu suo fodinas. Ratio dissensus maxime inde orta est, quia concessionibus illae cum aliis iuribus congruere videntur. Hinc illa, HORNIVS^{r)} cum ZOBELIO pro *emphyteusi* habet, quamuis ipse fateatur, hanc rem satis determinari non posse. Putant enim maxime in eo emphyteusi esse similes, quia fodinae, vt alius fundus,

con-

^{r)} Loc. cit. §. 23.



concedantur, vt colantur et meliores reddantur, illaeque ob negligentiam et omiffam culturam, vti emphyteufes, amittantur. Sed quis non videt, ex iisdem rationibus illam potius ab hoc iure fingulari differre maximopere? Illa enim conceditur ad implantandum, hoc vero ad effodiendum; prior respicit fundi meliorem ftatum, vt plures producantur fructus, qui fimis in posteriori ceffat. Effoffo enim metallo, fodina fit deterior, quia fructus renafcentes in metallis admitti nequeunt. Immo neceffe non habeo omnes recensere differentias, quia facile, natura emphyteutici negotii recte confiderata, intelliguntur. Tantummodo addam, domino fundi emphyteutici competere ius protimifeos, illumque diferte illi effe offerendum, ita, vt fi hoc omiffum fuerit, emphyteuta iactura atque amiffione iuris, quod in fundo habuit, puniatur. Partes metallicae vero in quemcunque transferri et quocunque modo fine confenfu Principis, alienari poffunt, quia ipfius iura femper falua manent. Vnicus casus in *Ordin. met. Art. 25.* interdicitur, quominus valeat fodinarum *locatio*, reliqui vero modi transferendi, veluti ceffiones donationes etc. indifincte permittuntur. Praefectura quidem metallica de hac mutatione atque alienatione certior redditur; fed hoc non fit ad impetrandum confenfum, fed potius, vt innotefcant illarum partium poffeffores, folius fcientiae gratia. LEYS.

Ius Georg. Libr. III. c. 24. n. 28. Alii e contrario ius illud



eum bonis censiticis esse comparandum, statuunt, quia plenum dominium, ut in illis, ita et in hoc ad possessionem fundi pertineat. Sed si perpendimus, bona censitica non soluto censu atque ob neglectam curam ac culturam, non amitti, bene vero ex utraque causa partes metallicas possessori ^{s)} perire, similitudo illa maxime claudicat. Quod iis inprimis obiciendum quid novam speciem excogitare volunt, et *feudum metallicum* fingunt. Siue enim ad fidem vasalliticam, siue ad praestationem seruitiorum, siue ad successorem, inuestituram feudalem, atque renouationem respicio, tantam vbiuis apprehendo dissimilitudinem, ut non reperiam, quo fine metalifodinarum iura feudorum nomine venire possint. Maxime tamen error exinde dimanasse videtur, quia litterae, quibus ius metallorum confirmatur, dicuntur *inuestiturae*, ipseque actus *Belehnung*, quae vero cum *inuestitura feudali* non confundenda, ideoque etiam in legibus metallicis vocatur *confirmatio Bestaetigung*, quam pariter in aliis iuribus, v. c. venationis patronatus, foresti etc. acquirendis, impetramus, quibus simili modo inuestiti dicimur. Licet vero quis sollempniter cum feudo inuestitus, et

deinde

s) Si trimestrem pecuniam per integrum annum non soluit, pronuntiat: *er muß das Feld raucken, oder sein Lehn faellet ins Freye*; uti et focius, qui symbolas suas iusto tempore non confert, ius suum, quod in partibus metallicis habet, amittit, sec. illud: *Das Retardat frisset die Kuxe. Ord. met. A. 62* ita, ut ne minor quidem aetas gaudeat beneficio restitutionis in integrum.



deinde vena metalli in eo detecta fuerit, debet tamen illam indicare, ac concessione sibi prospicere, quia inuestitura illa ius metallorum singulare non comprehendit, ideoque STRVVIVS^{t)} perspicue illud ab vtilitatibus feudalibus excipit. Interim plures eaeque, hoc de negotio diuersae denominationes, passim obueniunt (apud TITIVM^{u)}), atque alios, vt maxime mirandum sit, cur DD. nimis studiosi fuerint, in excogitando illius negotii nomine, placitisque iuris romani accommodandis, quasi omnia nouiter introducta instituta ac iura ad principia illius sint referenda, quae tamen maxime ab illorum temporum moribus sunt aliena. Nos potius cum BEYERO^{v)} sentimus et separatum ius assumimus, idque *speciale* appellandum; respicit enim priuilegium, quo quis ita a dispositione legis eximitur, vt iure metallifodinarum, a quo ad regulam exclusus, liberius fruatur.

§. XV.

Canon metallicus praestandus.

Permittit igitur dominus territorialis subiectis suis metallica opera colere, atque vtilitates ex iis prouenientes percipere; ipse tamen semper Dominium superius, quod *directum*

t) *In Synt. iur. Feud. cap. 4. §. 26. n. 6.*

u) *In iure prin. R. Germ. Lib. III. c. 14. §. 10. et Lib. IV. cap. 14. §. 11. et Lib. VIII. cap. 15. §. 15.*

v) *In delineat. iur. German. Lib. 2. cap. 4. §. 34.*



rectum dici potest, retinet. Ex quo varia iura sibi reservat, quae exigere non solum urget necessitas, sed et ad quae praestanda ciues s. coloni ex aequitate obligantur. Ingentes enim sumtus a Principe sunt erogandi ad res metallicas sustinendas, et salaria Officialibus soluenda, quae fisco Illius imponenda non sunt. Eum in finem statutum est, vt cultores certum canonem metallicum, ac trimestrem pecuniam praestare obstringantur. Haec semper, ex *Ordin. met. Art. 24.* spatio trium mensium lapsio, unde etiam *Quatember-Recess-Geld* dicitur, a qualibet colenda fodina conferenda, ac summa illius pro ratione fodinae, atque arbitrio praefecturae metallicae determinatur, plerumque tamen septem grossi exiguntur. Qua pecunia intra ¹⁰⁾ annum non soluta, exercitores suo iure cadunt, fodina ad principem redit, aliusque illam, sibi concedendam, expetere potest. *Ordin. met. Art. 24.* SPANII *Spéc. metall. t. 7. §. 8.* et LEYSERI *Ius Georg. L. 3. c. 24. n. 86.*

A qua tamen *pecunia recessuali* liberae sunt fodinae, *freymachte Zechen*, in primo termino (*Quartale*) vid. *SCHOENBERGII Inform. met. voce Reccesschreiber n. 6.* Sed et ex ipsis perceptis prouentibus *canon metallicus (Bergzehende)* ex ordin. met. Art. 10. exigitur, qui consistit in
certa

¹⁰⁾ Si vero terminus ille trium mensium prima, altera et tertia vice neglectus, tum fodina incidit in poenam decem florenorum, quae pro quolibet neglecto termino soluenda.



certa parte prouentuum, a privatis metallifodinarum exercitoribus, Principi in recognitionem concessionis impetratae praestanda. Maxime est fauorabilis. Princeps intuitu illius gaudet tacita hypotheca, et praestandus est, non deductis expensis *Berg- und Hütten-Kosten* conf. HERTWIGVS voc. *Zehenden*. In concursu creditorum vero in secundam classsem venit. Mand. 1713. §. 29. Ordinarie ille continet decimam partem, interdum tamen aliquid remittitur, si fodina prouentibus caret largioribus. LEYS. l. c. n. 26. Principi promiscue competit ius ab omnibus metallis, non nobilioribus solum, sed et inferioribus, v. c. mineris, lapidibusque illum exigendi, nisi loci consuetudo, Ipsiusque liberalitas aliud disposuerit. Quicquid enim sine Principis permissione effodere non licet, id quoque decimarum praestationi obnoxium est, quia una obligatio ex altera descendit, quae tamdiu valet, quamdiu alter non clare ab illa est liberatus; vid. BEYERVS l. cit. c. 4. §. 6. et PFEFFINGERVS ad VITRIAR. T. III. p. 1461. Ipse tamen canon vel in natura, seu rebus ipsis, soluitur, quod plerumque fit sec. paroemiam: *es wird der Zehend von Eisenstein gestürzt*, vel secundam pretium et valorem cuiusque metalli, nisi pariter obseruantiae locorum, pacta ac priuilegia aliud introduxerint. Sic ex alumine, nitro, vitriolo decimae secundum pretium legale ac constitutum numerantur, immo interdum eadem in certa pecuniae summa, vti

H

in



mineris stanni, consistere possunt. Conf. HERTWIGIVS sub V. ZWITTER §. 28. et SPANIVS *l. cit. tit. 13. §. 4.* qui pluribus hac de re differuerunt, vt reliquas *) canonis species praetermittere possimus.

§. XVI.

Iure protimiseos gaudet Princeps in distrahendis metallis.

Ex iure illo concessionis, priuatis in metallifodinis factae, descendit pari modo alia obligatio, vt Principi metalla reperta, praesertim nobiliora, emenda offerant, quod in genere appellatur *ius protimiseos, der Silberkauf*. Hoc ius iam in iure romano fundatum, et quidem in L. 1. C. de metall. videtur, vbi: *quicquid amplius colligere potuerint, fisco potissimum distrahant, a quo competentia pretia suscipiant*. Olim tamen focii proventus metallicos ipsos accipiebant, vt arbitrio suo iis vterentur; quia inde vero varia metuenda erant incommoda, quae revera quoque accidebant, ius protimiseos Principi reseruandum erat, quod primo factum ab ELECTORE AVGVSTO 1583. idque per Patent von *Auf-richtung eines freyen Erzkaufes*. Deinde in ordin. metall. de 1589. Art. X. praecipue cauebatur, vt focii argenti proventus ad praefecturam decimarum (*Zehenden-Amt*) trans-
porta-

*) Introductae enim sunt quaedam aliae praestationes v. c. *Ladegeld, Wagegeld, Schlaegel-Schatz*, de aeris metallis, in officinas transportandis, vid. *Hammer-Ordn. d. 1666. §. 36.*



portarent, quae certum pretium, secundum quod Marca aestimatur, pro illis exfoluit. Ideoque, ut omnis fraus euitetur, in *Art. 75.* expresse aurificibus interdicitur, ne aes vel argentum redimant, quoties venditor malam suspicionem prae se fert; uti et in *Art. 76.* prohibitum, quominus Iudaeus in urbibus montium toleretur, ac moeretur; immo si conuincatur, aes vel argentum ad se traxisse, omnia perdit, et tunc dimidia pars Principi cedit, altera vero illi, qui eum in facto illicito deprehendit. Etiam capitali poena affici potest, si grauiora ipsum premunt delicta. Fundamentum huius feriae prohibitionis, atque auertendae defraudationis est rei monetariae amplificatio atque utilitas. Interim HORNIVS *loc. cit.* §. 18. specialem casum adducit, quo periculum argenti in Officinam manetariam deferendi, fisco Principis adscribit, si scilicet casu pereat. Res enim iam vendita esse censetur ac tradita, ideoque recte rei venditae periculum ac casus ad fiscum referendus videtur. Latius tamen hodie de hoc iure protimiseos agit die *General-Schmelz-Administ.* de qua disponitur in *declar. d. 1710. in C. A. T. II. p. 403. it. de anno 1712. ibid. p. 409. et de 1713. pag. 467. conf. et BAVSE in introduct. ad ius metall. P. II. p. 115.* Et MOLLENBECII *diss. de Regali protimiseos iure.*



§. XVII.

Metallifodinae gaudent insignibus priuilegiis.

Maximus rerum metallicarum fauor ex variis immunitatibus, quibus exornatae, satis apparet. Eximia enim illarum prostant priuilegia, quibus ad splendorem maximum, praesertim in Saxonia, munificentissime sunt euectae. Quorum omnium primum merito occupat locum institutum Academiae Fribergensis, anno 1765. fundatum, atque usque ad tempora nostra regia liberalitate sustentatum ac confirmatum. Nihil enim exstat, quod ad florem metallifodinarum conseruandum, magisque stabiliendum felicissimo successu, conducere possit, quam haec artium officina. Omnes illae disciplinae, physica nimirum, geometria subterranea, trigonometria, mechanica, hydraulica, hydrostatica, chemia, mineralogia, aliaeque artes, rebus metallicis egregie opitulantes, ibi traduntur, vt in dies maiora incrementa inde in salutem publicam redundent, quae omnia iustis efferre laudibus, virium prohibet imbecillitas. Alia potius praedicanda restant priuilegia, quibus ipsae partes metallicae, illarum focii atque exercitores gaudere solent. Ipsum ius metallifodinarum nititur regali potestate ac iuribus principi exinde reseruatis, ad quae refertur necessitas petendae confirmationis, praestandi canonis iurisque protimiseos, quae sanctissime, ac sine restrictione



strictione sunt adimplenda, atque strictissime interpretanda, nisi quis grauem poenam incurrere velit. Sed, quo maior labor, quo grauius periculum in cultura fodinarum versatur; eo insignioribus priuilegijs ornantur priuati, qui iuris metallici participes, efficiuntur. Non referam, ipsum indagandi metalla modum esse priuilegium, vt cuicumque illa scrutari liceat, *sec. nouum Decret. met. d. 1754.* illosque puniendos esse, qui scrutatores telluris recessuum impediunt, *Ord. met. §. 42.* sed modo adducam, non solum esse illis praemia proposita, qui venam inuenerunt, sed et illorum partes metallicas ita esse comparatas, vt nulli confiscationi tempore belli et pacis sint obnoxiae, *Ord. met. Art. 1.* multo minus vt possessores iisdem ob nomina contracta priuentur, quo potius in casu executio in ipsum fit debitorem. Exceptio tamen locum habet, si pecunia intuitu illarum credita fuerit, quia tunc gaudet creditor tacita hypotheca. Si heredes, orto concursu, illam soluere recusant, pariter metallica nomina omnia reliqua antecedunt, atque secundum prioritatem, ex *Mand. reg. d. 1713. n. 28. C. A. P. II. pag. 484.* in quo authentica *Art. 1. diſt. Ord.* deprehenditur interpretatio, locantur. Pari priuilegio fruuntur pecuniae ad conseruandas, ac resciciendas metallifodinas creditae, quippe quae, ab omnibus oneribus immunes, pronuntiantur per *Decretum IOH. GEORGII I. ELECT. d. 1624. n. 9. C. A. P. II. pag. 286. et Resol. Grav. 1661. tit. Rentsachen §. 48.* vti vrbes montium (*Bergstädte*) a steuris cereuisiae liberae,



liberae, quarum tantummodo dimidiam partem, vt et rerum, extra urbem transportandarum, conferunt, per *Acta committial. de anno 1711. C. A. P. I. pag. 370.* dummodo ciues, si huius priuilegii capaces esse velint, actu fodinas colant, reque ipsa exerceant, vt iniungitur in *Decreto met. ELECT. GEORG. II. d. 1659. n. 7. C. A. P. II. pag. 321.* Eadem immunitate gaudent omnia materialia, ad colendas instruendasque metallifodinas, necessaria, sine omni vectigali soltendo, transferenda. *Resol. reg. d. 1709. n. 35. C. A. P. II. pag. 389.* Sic ipsi operarii, metallorumque exercitores cogi non possunt, vt militiam subeant, omnibusque oneribus personalibus liberantur, dict. *Resol. n. 51 et Gener. d. d. 23 Nov. 1776. Exemption der Bergleute und Bergschmiede von den Werbungen betreff. et Gener. d. d. 20 Febr. 1779 Land - Recrutirung - und Exemptionsverzeichnis.* Ipsorum mercedes residuae, tanto afficiuntur priuilegio, vt in concursu omnibus praeserantur nominibus, et statim primum locum occupent, *Mand. de 1713. §. 29.* Matutino ac vespertino tempore ipsis introitus atque exitus per portas sine omni soluendi pedagii onere, conceditur; *d. Resol. n. 50.* Singulare tamen prorsus beneficium est in fauorem senio Confectorum, ac laboribus immensis debilitatorum metallurgorum introductum. Illi enim, si valetudine aduersa ita sunt debilitati, vt fontica causa ipsos a laboribus excuset, non solum alimenta ex certo aerario, dicta *die Knappschaftscasse*, sufficientia percipiunt, sed et illorum viduae et pupilli iisdem fruuntur emolumentis, qui bus insigni modo abege-
state



state metuenda praemuniuntur, de quo salutari instituto in
cit. *Decret. d. 1659.* dictaeque cassae administratione, in
diſt. Resol. reg. n. 38. pluribus agitur, insuperque alia in-
signis munificentiae documenta, ibi legi possunt. Immo
Generale d. d. 28 Octbr. 1779. viduis et liberis effossorum,
si casu perierint, salarium eorum, per quatuor hebdomadas
concedit. Copiosius enim omnia enarrare priuilegia pro-
hibet, angustis cancellis circumscripta haec disputatio, quae
pluribus iam recensuit STEERSIVS in *Diff. de Priuilegio me-
tallifodinarum.* Addam modo, causas metallicas personas-
que, ad illas pertinentes, subesse foro priuilegiato, quod
tam diu retinent, donec tale delictum perpetrarunt, vti il-
lud in *Ord. met. art. 105.* definitur. Causas vero ad illud
forum pertinentes, adducit SCHAVMBVRGIVS *l. cit. exerc.*
VI. §. 32. illaeque perspicue determinantur in *Rescripto reg.*
de anno 1702. C. A. P. I. pag. 1723.

§. XVIII.

Succincta Processus metallici delineatio.

Ad priuilegia metallorum pari modo Processus metalli-
cus est referendus. Ille enim est modus procedendi extra-
ordinarius, causas metallicas priuilegiato more pertractan-
di in iudicio metallico. Iudicium illud exercet iurisdictio-
nem metallicam siue potestatem, causas metallicas cognoscen-
di, illas decidendi, remque iudicatam exequendi, exceptis
causis criminalibus, quarum executio ad magistratum ordi-
narium spectat, per Mandat. ELECT. IOH. GEORG. II. *d.*

1659.



1659. P. II. p. 316. SCHAUMBVRGIVS l. c. §. 33. Iurisdic-
 ctio quidem metallica est referuatum Principis, illam ta-
 men ipsis iudiciis metallicis concessit administrandam. Pri-
 ma instantia plerumque secundum *Ord. met. art. 98.* est pe-
 nes Magistrum metallurgiae (*Bergmeister*) qui deinderem,
 per amicabilem compositionem non transactam, ad iudi-
 cem superiorem¹⁾ defert, et si ipsa decisio a Principe pe-
 titur, tunc ipse per *Cancellariam metallicam* (*Berg-Can-
 zeley*) causam dirimit, penes quam ita suprema verfa-
 tur cognitio; de causis vero, priuatiue iudicia metallica
 spectantibus, disponit *Mand. decisuum d. anno 1622.* ELE-
 CTOR. IOH. GEORG. I. C. A. P. II. pag. 279. Verfatur igitur
 nostrum forum in *causis metallicis; cuius subiecta sunt per-
 sonae litigantes, actor et reus, vel iudicantes, Magister mon-
 tium, scripturarius metallicus* (*Bergschreiber*) et *Iurati*.
 Modus procedendi fit leuato velo, atque a communi regu-
 la aberrat, quia maxime reipublicae interest, vt causae me-
 tallicae moram non ferentes,²⁾ citius decidantur. Forma
 praescribitur in *Mand. Reg. d. anno 1713. C. A. P. II. p. 473.*
 quod pro norma in processu metallico habendum. In ge-
 nere

1) Ita iam *Marchio Misniae* FRIDERICVS PORTIS s. ADMORSVS anno
 1294. scabinatem metallicum Senatus vrbis Fribergenſis constituit, et
 speciali privilegio causarum cognoscendarum muniuit, vid. MOLLERII
Chronic. Freiberg. sect. 4. c. 1.

2) In *Generali de ao. 1731.* cauetur, vt omnes in causis metallicis factae
 Resolutiones intra quatuor hebdomadas sint expediendae, et per sin-
 gulos menses specificatio illarum sub certa poena, ad iudicium metal-
 licum Dresdenſe, transmittatur.

nere notandum, ante omnia laborandum esse, vt res amice componatur, *Ord. met. art. 98.* et tunc demum, si hoc frustra tentatum, praesertim si res sit ampla ac dubia, iudicis cognitio et decisio impetretur. *Resol. Reg. d. 1709. dist. Mand. §. 19.* Substantialia vero vt in omni obseruanda processu, ita pariter in nostro deprehenduntur, remissis tamen sollemnitatibus. Ita I) *Libellus* non sollemnis requiritur, sed sufficit nuda imploratio. *Mand. cit. §. 1.* et si societas contra alteram agit, tunc, re non transacta, ante citationem remissam, legitimatio facienda, vel ratione reliquorum fociorum, cautio rati praestanda. *Mand. §. 2.* II) *Citatio* fit ore in causis leuioribus, aut ex veteri ritu, transmissione bacilli fissi (*Kerbholz*) *Mand. §. 20.* Societas vero tanquam persona moralis, citatur per scripturam, nomine tamen collectiuo, (*Gewerkschaft*) cui citationi additur copia implorationis. Prima continet spatium VI hebdomadam, deducto die insinuationis et termini, reliquae modo IV. hebd. licet quoque sub praeiudicio fiant. *Mand. §. 3.* Insinuatio fit a nuntio iurato ad fodinas (*an die Zechen- und Huthhaeuser*) vel etiam affiguntur *an die Kauen*, quae dicitur ad domum; tradi tamen insuper debet fodinarum Magistro ad manus vel ad faciem. *§. 2.* III) *Litis Contestatio* modo constat ex nuda responsione, nec exceptiones dilatoriae admittuntur *§. 7.* immo, ipsa cautio pro expensis et querenda non exigenda. *M. §. 5.* Messium feriae, vt aliae ab

I
homi-



hominibus introductae, non attenduntur, omne cum in iudiciis metallicis cessat iustitium. §. 4. Ipsi tamen responsioni exceptiones peremptoriae *specificae* sunt annectendae, atque ad ipsam causam dirigendae, ut iudex statim perspiciat, quid demonstrandum, quidue in remonstracione deducendum, immo in ipsa sententia interlocutoria passus demonstrandus, dilucide debet exprimi. §. 9.

IV) Sollennis probationis et reprobationis vicem supplet *demonstratio* et *remonstratio*, cuius fatale adstrictum est ad quatuor hebdomadas, et currit a tempore rei iudicatae. Articulis ipsis argumenta probandi adiicienda, qui vna cum denominatione et directorio offerendi sunt. Si per iusiurandum probatio instituitur, obtinet fatale oblationis ad iurandum, quae oblatio fieri debet in iureiurando delato, relato, suppletorio, ut et purgatorio intra octiduum a die publicationis, parique spatio conscientiae defensio per probationem cum articulis offerenda §. 8. Sin per testes et documenta, illi a iudice citantur intra spatium IV hebd. aduersa pars vero ad videndum iurare, vel ad recognoscendum, qua cum communicantur articuli ad conficienda interrogatoria §. 9. Non alia documenta edenda, nisi sunt communia, et tertio editio iniungi nequit, nisi ex ipsis articulis appareat necessitas edendorum documentorum, vel pars litigans, seu eius aduocatus iuramentum calumniae



Iuramentum praestet, quibus in casibus intra octiduum, sub amissione documentorum iudex adeundus, ut litteras requisitiarias vel compulsorias emittat. *Mand. §. 12.* Iuramentum praestitis, documentis recognitis, ac testium examine peracto, iudex XIV. dierum terminum, definit ad disputationes attestatorum instituendas, in quibus in genere partes de facta demonstratione et remonstracione inter se litigant. Actor post octo dies ab insinuatione citationis incipit, et positiones suas in duplo affert; intra idem spatium reus respondet, et sic utraque pars una adhuc positione alternat, atque ad sententiam concludit §. 15. ubi tunc iudex vel ipse in causa decidit, vel, si transmissio actorum consideratur, intra XIV dies, terminum inrotationis constituit et in causis mere metallicis Scabinatus Freybergensis tunc cognoscit, in aliis vero Collegia iuridica Saxonica §. 16.

V) Fertur *Sententia*²²⁾ ex §. 16. legibus metallicis saxonice consentanea, quae vel interlocutoria, vel definitiva, vel mixta, ad quam publicandam iudex ex officio terminum constituit. Publicatione facta, *stante pede*, remedia suspensiva vel devolutiva interponenda sunt, et postea intra XXIV. horas in scriptis offerenda, in quibus saltem unum grauamen addu-

I 2

22) Quarum collectionem curavit SPANIVS, illaeque facile ab aliis discerni possunt, quia semper praefertur clausulam: *Erkennen wir vor Berg Recht, et von Berg Rechtswegen.*



adducendum, et si leuteratio interposita, terminus prosecutionis petendus est in iisdem; sin appellatio, apostoli sunt petendi, et deinde redimendi §. 17. Termino prosequendae leuterationis praefixo, latius illa deducitur, quod fit tam secundum formalia, quam materialia; et tunc utraque pars in duobus scriptis inter se agit ab octiduo ad octiduum, et quaelibet positio in duplici scripto tradi debet. §. 18. In appellatione vero ante emissos apostolos, certam pecuniae summam in casum succumbentiae, et quidem *decem* Marcarum, si a decreto praefecturae metallicae, *viginti*, si a sententia Scabinatum metallicorum vel Dicafteriorum appellatum, intra spatium IV hebdomadam a die publicationis deponere debet, sub poena desertae appellationis *d. M.* §. 17. Quae omnia si rite obseruata, iustificatio appellationis decernitur, quae pari modo, uti in leuteratione, peragitur. Interim appellationes, quae ante decretum latum a citatione, oculari inspectione, aliisque praeliminaribus punctis, opponuntur, non admittuntur, praeterea aduocatus eiusque principalis, quilibet decem thalerorum poenam luit. §. 17. Si igitur sententia in rem iudicatam transiit, et condemnatus iidem non satisfacit, laborandum est, ut viribus suis haud destituatur, victusque illam haud illudat. Inde

VI) totius Processus finis dependet ab *executione*, quae proprie ex metallorum priuilegio, in partes metallicas decerni

decerni nequit, nisi debita intuitu illarum sint credita, §. 24. Interim tamen extra hunc casum, executio ob alia debita quoque in easdem fieri potest, modo illa diferte petatur a iudicio metallico, vti olim Arrestum in cit. §. 24. specificè erat impetrandum, quod indistinctè in *O. P. R. t. 4. §. 2.* sublatum legitur. Modos vero impetrandae executionis disponit cit. *Mand. §. 26 sqq.* ad quod *Lectores Beneuolos* in praesenti remittimus.

§. XIX.

Sed haec de iure metallorum, quae in umbra modo breuiter delineare voluimus, prolata sufficiant. Citius ad metam propositam peruenimus, quam praeter spem, vt cum Poeta loquamur, feruidis quasi rotis euitatam, cognouimus. Tanta enim rerum copia obruimur, vt plura sicco pede transeunda, quae accuratius pertractanda, fuerint. Maiora in qualibet parte differenda restant, inprimis de *Processu metallico*, quem tantummodo secundum eius praecipuas partes descripsimus. Sic partes illius accidentales, v. c. litis reassumptionem, denuntiationem, interuentionem, concursum creditorum et separatam speciem processus metallici (*der Gaenge und Klüfte betrifft*) qui peragitur a iuratis menforibus (*Markscheidern*) et plerumque ad illius ocularem inspectionem, vel factam ichnographiam, deciditur; delicta metallica, illorum cognitionem ac poenas, atque
alia



alia huc pertinentia, in suspenso, intacta, reliquimus. No-
uissima Generalia, quae post continuatum Codicem Augu-
steum prodierunt, ratione functionum, quae iis continen-
tur, adducere non potui, quia illis adhuc careo. Alia ta-
men occasione, otio diuinitus concesso, ea, quae fuere
omissa, supplebo. In praesenti vero nobis *huncce* DIEM
CANDIDISSIMUM, maximopere gratulamur, qui Sa-
xoniae vniuersae otia fecit gratissima, cum ex *splendore*
Eius Diei, totius patriae salus pendeat. Concipiamus igitur
pro TANTO PRINCIPE vota deuotissima, ut *illa*
lux in salutem totius *Patriae*, saepissime redeat *splendi-*
dissima; quod si laetis ominibus euenerit, animo deuotissi-
mo mihi et ciuibus acclamabo:

Annua, quae differre nefas, celebrate fauentes.



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle


004 335 937



3

f
sl.





9250

12

1783

DISSERTATIO
DE
QVIBVSDAM IVRIS METALLICI
CAPITIBVS
QVAM
FELICISSIMO
FRIDERICI AVGVSTI
PATRIS PATRIAE SERENISSIMI
NATALI
PRAESIDE
CAROLO FRIDERICO TRILLERO
PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE
COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO
DEFENDET
AVCTOR
AVGVSTVS LVDOVICVS DES CHAMPS
FREIBERGENSIS MISNICVS.

AD. D. XXIII. DECEMBER. MDCCLXXXIII.

VITEBERGAE
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

